

EMPIDIDÆ NEOTROPICÆ MUSEI NATIONALIS HUNGARICI.

Auctore professore MARIO BEZZI.

(Cum 3 figuris).

Collectiuncula Empididarum ex America meridionali hic descripta. exemplaria modo sexaginta amplectens, magni tamen momenti consideranda. Ex Bolivia atque Peruvia nullæ enim Empididarum species adhuc cognitæ erant, quamvis hæc Dipterorum familia ubique ditissime distributa videatur. Species præterea observatæ fere omnes novæ, vel raro descriptionibus auctorum non nisi ægre referendæ sunt, licet ex America meridionali et centrali nil minus quin 157 species jam descriptæ inveniuntur.

Species observatæ sic per genera distribuendæ :

- 1 (14). Nervus tertius furcatus.
- 2 (13). Coxæ anticæ non elongatæ; pedes antici non raptorii.
- 3 (6). Metapleuræ setosæ vel saltem pilosæ; oculi in mare plerumque connexi.
- 4 (5). Antennarum articulus primus plerumque valde elongatus; thoracis dorsum parum setosum; colores metallice nitentes.
Lamprempis WHEEL. et MEL.
- 5 (4). Antennarum articulus primus non vel minus elongatus; thoracis dorsum plerumque setosum; colores non metallici. — — *Empis* LINN.
- 6 (3). Metapleuræ nudæ.
- 7 (8). Oculi in mare connexi; proboscis horizontalis vix prominens; antennarum articulus tertius brevis rotundatus. *Apalocnemis* PHIL.
- 8 (7). Oculi in mare sejuncti; proboscis perpendicularis longiusecula; antennarum articulus tertius elongatus.
- 9 (10). Nervus auxiliaris costam attingens. — — — — *Hilara* MEIG.*
- 10 (9). Nervus auxiliaris ante costam desinens.
- 11 (12). Femora non incrassata, nec tibiis longiora. *Hilarempis* nov. gen.
- 12 (11). Femora paullulo incrassata, tibiis multo longiora. *Haplomera* MACQ.
- 13 (2). Coxæ anticæ elongatæ; pedes antici raptorii. *Hemerodromia* MEIG.
- 14 (1). Nervus tertius simplex.

* Genus hocce ex fauna neotropica removendum puto; species ab auctoribus descriptæ aliis generibus adscribendæ sunt, ut infra videbis.

- 15 (20). Cellula discoidalis adest.
 16 (17). Cellula analis brevior quam basilaris secunda et nervus transversus analis margini postico alæ parallelus; proboscis perpendicularis.
Rhamphomyia MEIG.
 17 (16). Cellula analis longior quam basilaris secunda vel æquilonga et nervus transversus analis margini postico alæ perpendicularis; proboscis horizontaliter exserta.
 18 (19). Nervus tertius longitudinalis prope basin alæ oriens. *Syneches* WALK.
 19 (18). Nervus tertius longitudinalis in medio alæ oriens. — *Hybos* FABR.
 20 (15). Cellula discoidalis nulla. — — — — — *Tachydromia* MEIG.

Gen. HYBOS FABR.

Species generis hujus sic distinguendæ:

- 1 (2). Colores nigro-cyanescens; thoracis dorsum valde pilosum; alæ versus basin infuscatæ, macula stigmatica fusca. — — — *pilosus* SCHIN.
 2 (1). Colores nigrificantes; alæ versus basin non infuscatæ.
 3 (4). Alæ hyalinæ, iridescentes, macula stigmatica nulla; pedes nigri.
hyalopterus n. sp.
 4 (3). Alæ cinerascens, macula stigmatica fusco-nigrescente; pedes nigri et lutei. — — — — — *neotropicus* n. sp.

1. *Hybos pilosus* SCHINER, Novara Dipt., 202, 1. (1868).

Masculum e Vilcanota (Peruvia) non sine dubio huic speciei refero. Thoracis pili longi et conferti, sed obscuriores quam in descriptione SCHINERI; oculi supra et subtus antennis cohærentes; thorax minus cyanescens; scutellum nigrum setis 6—8 marginatum; abdomen cyaneum; hypopygium magnum, forcipatum, lamellis lateralibus permagnis, fere ut in *H. triplice* WALK. fictum. Alæ ut in *triplice*, sed fuscedo basalis versus marginem anticum præsertim perspicua; costæ triens basalis longe ciliatus; macula stigmatica fusca spatium inter costam et secundam longitudinalem omnino replens; nervus tertius rectus. Femora postica valde crassa, subtus spinosa, spinis tuberculis brevibus insidentibus.

Nota. Fœmina quædam e Callanga (Peruvia) speciei istæ vel aliæ affini pertinere videtur; thorax pulchre cyaneus, brevius et minus crebre pilosus; scutellum cyaneum 8-setosum; abdomen nigro-cyanescens, ovipositori conico crassiusculo; pedes geniculis posterioribus nigris tarsisque anterioribus setis tribus longis, duobus superis una infera. Alæ basi non fuscæ, nervo tertio longitudinali subtus paullulo incurvo quartoque superne incurvato.

2. *Hybos hyalopterus* n. sp. ♀.

Niger, nitidus, halteribus pedibusque concoloribus, alis pure hyalinis valde iridescentibus, macula stigmatica nulla, nervis tertio et quarto convergentibus.

Long. corp. mm. 5, alar. mm. 3.6.

Species hæc ab omnibus congeneribus americanis colore omnino nigro nitido et simul alis pure hyalinis eximie distincta; magnam affinitatem cum speciebus gen. *Syndyas* habere videtur, præsertim cellulæ discoidalis parvitate ac decursu nervi quarti longitudinalis, distincta tamen forma cellularum basilarium. Totus nitidus, thoracis disco tantum opaculo. Oculi superne et inferne connexi, areolis superis inferis vix majoribus; proboscis nigra nitida, palpis vix longior; palpi et antennæ nigri, istæ articulo tertio ovali elongato, seta longa subtili undulata prædito. Thoracis dorsum convexum, rotundatum, tomento ænescenti leviter conspersum, pilis longiusculis brunneo-pallidis præditum. setis distinctioribus nullis, pilis tamen in parte postica ante scutellum longioribus; scutellum nitidum, margine postico pilis omnino fimbriato. Halteres et squamæ nigri, istæ pilis longis pallidis fimbriatæ. Abdomen subtile, elongatum, acuminatum, pilis longiusculis pallidis præditum, nigrum nitidissimum in medio tamen opaculum; terebra conica, lamellis apicalibus angustis nigris elongatis. Pedes omnino nigri, pilis confertis pallescentibus, setis non manifestis præterquam in tarsis anticis; coxæ posticæ crassiusculæ, femora iecta, minus incrassata, subtus setis brevibus prædita; tibiæ posticæ quam femora multo breviores; metatarsi incrassati. Alarum nervi lutescentes, tertius et quartus ex callo nigro elongato basi orientes, quartus post transversum posteriorem sursum incurvum ideoque tertio valde approximatum.

Fœmina e Vilcanota (Peruvia) visa.

3. *Hybos neotropicus* n. sp. ♀.

Niger, nitidus, fulvo-pilosus, pedibus nigris tibiis tarsisque partim luteis, alis paullulo infuscatis macula stigmatica elongata fusca, nervis tertio et quarto parallelis.

Long. corp. mm. 5.5, alar. mm. 4.5—5.

Species parum distincta, soliti in hoc genere habitus, ab omnibus descriptionibus tamen discrepans; color pedum paullo variare videtur.

Oculi supra antennis connexi, subtus vix disjuncti, areolis superis paullulo majoribus; setæ verticales atque occipitales longæ et subtiles; proboscis brevis, palpi brunneo-lutescentes; antennæ nigrae, articulo tertio ovali elongato, seta capillari longissima prædito. Thorax convexus, nigro-nitidus, longe setosus, setis præsuturalibus alaribusque validis nigris; scutellum setis duabus apicalibus postice præditum aliisque minoribus lateralibus. Squamæ lutescentes, pilis pallidis longe fimbriatæ; halteres elongati clava brunnea. Abdomen elongatum, nigrum nitidum, longe pallido-pilosum præsertim versus basin; lamellæ apicales terebræ nigrae. Pedes nigri nitidi, setis nigris pilisque pallidis præditi: apud ob-

scuriores genicula quatuor anteriora, tibiæ posticæ versus basin ac metatarsi tantum lutei; apud dilutiores tibiæ posticæ præter apicem tarsorumque articuli basales lutea; femora postica subtus 8—10 setas validas gerentia. Alæ elongatæ, cinerascens, cellula discoidali elongata; nervus quartus omnino rectus; margo anticus costæ breviter fimbriatus.

Duo exemplaria vidi, unum e Callanga (Peruvia) alterum e Cillutin-cara (Bolivia).

Nota. Fœmina altera e Coroico (Bolivia) omnino similis, at paullo minor, alarum nervis tertio et quarto convergentibus differe videtur.

4. *Syneches phæopterus* n. sp. ♂ ♀.

Rufo-lutescens, antennis pedibusque concoloribus, abdomine versus apicem nigrescente, femoribus posticis parum incrassatis inermibus, alis præter maculam stigmaticam elongatam fuscam immaculatis, cellula marginali ad apicem non aut vix dilatata, venis tertia et quarta extrinsecus parallelis vel sensim divergentibus.

♂ alis fuscescentibus.

♀ alis hyalinis, triente tantum apicali leviter infumato.

Long. corp. mm. 4, alar. mm. 4.

Species elegantula, nearcticis *thorarico* SAY et *rufo* LW. affinis, a quibus tamen cellula marginali non dilatata distincta; *debili* COQUILL. et *quadrangulari* WHEEL. et MEL. quoque affinis, at coloratione diversa.

Caput rotundatum, oculis magnis superne complanatis et areolis superis inferis multo majoribus; setæ ocellares regulares, pili occipitales parum manifesti; proboscis lutea nitida elongata acuta; palpi parvi, lutei, pilis 2—3 longis apicalibus; antennæ breves, pallide luteæ, articulo tertio breviter ovato et paullulo infuscato, seta apicali undulata longissima præter apicem nudum puberula prædita; articulus tertius basi pilum longum unicum raro duplicem præbens. Thorax rotundatus, paullo convexus, una cum scutello luteo-rubescens, in mare saturatius, picturis nigris nullis; setæ paucæ ac minus validæ, dorsocentralibus posterioribus exceptis quæ duo utrinque longæ; scutelli margo pilis longis fimbriatus, setis duabus apicalibus majoribus. Squamæ obscure luteæ, longe fimbriatæ; halteres lutei clava brunnea, in fœmina dilutiore. Abdomen fere opacum, basi et subtus luteum, supra et versus apicem nigrum, longe pallide pilosum; hypopygium rotundatum, abdomine non crassiore, appendicibus lateralibus brevibus acutis; lamellæ apicales terebræ nigrae elongatæ. Pedes omnino lutei; in fœmina dilutiores, in mare trochanteribus geniculis tarsorumque apicibus infuscatis, graciles, pilosi, setis validis nullis; tibiæ quatuor posteriores superne pilum longum prope basin gerentes. Alæ in mare fusciores, præsertim versus apicem et circa

maculam stigmaticam, quæ ovalis non quadrangularis et in fæmina magis distincta est.

Copulam e Callanga (Peruvia).

Nota. Species ista subgenus *Epiccia* WALK., a me in *Annal. Mus. Nation. Hungar.* II. 329 (1904) definitum, recordat; affinitas attamen superficialis, modo coloratione desumpta, quia nervi tertius et quartus alarum non convergentes sunt.

5. *Syneches pyramidatus* n. sp. ♂

Niger, opacus, antennis halteribus femoribusque nigris, tibiis tarsisque luteis, antennarum articulo tertio rotundato, thoracis dorso maxime convexo pyramidato; alis hyalinis, macula stigmatica obsoleta. cellula discoidali parva in medio alæ, nervis tertio et quarto parallelis.

Long. corp. mm. 3·5, alar. mm. 3.

Species parva, quæ cum *S. pusillo* Lw. aliquam affinitatem habere videtur.

Oculi superne complanati, areolis superis valde majoribus; palpi parvi, nigri; proboscis obscure brunnea; setæ ocellares perparvæ, pilis in occipite fere nullis; antennæ breves, nigræ, articulo tertio rotundato. seta longa capillari præter apicem tenuiter pubescente prædito, pilo basali longo. Thorax niger, opacus, pyramidis instar elevatus, breviter grisei tomentosus; setæ laterales atque præscutellares validæ, dorsocentrales parvæ; pars posterior sulciolum medianum longitudinalem distinctum præbet; scutellum setis marginatum, duobus apicalibus majoribus. Squamæ fuscæ, longe fimbriatæ; halteres brunnescentes. Abdomen elongatum nigrum pilosum, griseo-tomentosum præsertim versus apicem; hypopygium parvum. Pedes breves, femoribus posticis gracilibus; coxæ trochanteres et femora præter apicem nigra; pili breviusculi, posticorum longiores, præsertim in latere infero femorum. Alæ vix grisescentes, macula stigmatica perpallida et cellula discoidali parva.

Mas e Callanga (Peruvia).

Gen. RHAMPHOMYIA MEIG.

Genus hocce per Peruviam atque Boliviam ditissime distributum videtur: in collectiuncula saltem species multæ inveniuntur, characteribus eximiis distinctæ, ut in tabula sequenti discernere potest.

- 1 (14). Pedes non pennati.
- 2 (7). Thoracis dorsum argenteo-tomentosum.
- 3 (4). Metatarsi pedum intermediorum valde incrassati. — *boliviana* n. sp.
- 4 (3). Metatarsi intermedii simplices.

- 5 (6). Pedes nigricantes, parce pilosi, anteriores fere nudi.
leucophenga n. sp.
- 6 (5). Pedes lutescentes, tibiæ omnes longe et dense hirsutæ.
villosipes n. sp.
- 7 (2). Thorax non argenteo-tomentosus.
- 8 (11). Pedes lutescentes; abdomen fuscum ventre et basi pallidioribus.
- 9 (10). Cellula discoidalis extus acuta. — — — — — *dolichocera* n. sp.
- 10 (9). Cellula discoidalis extus recta. — — — — — *orthoneura* n. sp.
- 11 (8). Pedes nigri; abdomen cyaneo-viridescens, ventre nigro.
- 12 (13). Tibiæ intermediæ latere antico serie setarum longarum præditæ;
 tibiarum omnium basis anguste rufa. — — — — — *pulchriventris* n. sp.
- 13 (12). Tibiæ intermediæ clavatæ, pilosæ, setis nullis; tibiæ omnes omnino
 nigræ. — — — — — *abdominalis* n. sp.
- 14 (1). Pedes pennati.
- 15 (16). Alæ elongatæ; cellula discoidalis magna usque ad alæ marginem pro-
 ducta. — — — — — *pulchriventris* ♀.
- 16 (15). Alæ breves rotundatæ; cellula discoidalis parva in medio alæ.
rotundipennis n. sp. ♀.

6. *Rhamphomyia boliviana* n. sp. ♂.

Nigra, antennis concoloribus, pedibus halteribusque fuscis, thorace argenteo abdomine violaceo nitidissimo, antennis non elongatis, haustello capite longiore, alis hyalinis macula stigmatica obsoleta, nervis completis sexto abbreviato.

♂ metatarso pedum intermediorum valde incrassato et piloso. hypopygio parvo superne biappendiculato, peni clauso.

Long. corp. mm. 3·5, alar. mm. 4.

Species hæc cum duobus nuper sequentibus sectionem peculiarem tomento argenteo thoracis distinctam constituit, cuius fæminæ adhuc ignotæ thoracem non argenteum fortasse præbent. *Rham. cyanogaster* WHEEL. et MEL., Biol. centr. amer., Dipt., Suppl., december 1901, 371, 1, e Mexico, huic sectioni quoque adnumeranda.

Oculi connexi; setæ ocellares longæ, pili occipitales pauci; antennæ breves; palpi nigri; proboscis nigra, capitis altitudinem unam et dimidiam partem æquans. Thorax complanatus, setis nigris validis una humerali, duobus præsuturalibus, dorsocentralibus plurimis (non bene numerandis); scutellum argenteum setis 8 marginatum; thoracis latera nigra, nitida; pili metapleurales nigri; squamæ brunneæ nigro-ciliatæ; halteres brunnei. Abdomen tomento nullo, nitidissimum, nigro-violaceum breviter pilosum; hypopygium parvum clausum rotundatum, superne utrinque appendicula brevi cylindrica præditum. Pedes non elongati, parce pilosi, graciles, nigro-brunnescentes; tibiæ et metatarsi postici pilos aliquos longos flexuosos externe præbent; tibiæ intermediæ femori-

bus propriis breviores versus medium incrassatæ deinde iterum subtiles, in lateribus antico et postico pilis longissimis partim fasciculatis præditæ; metatarsus intermedius tibiæ longitudine æquans et crassior, niger nitidus, undique pilis fulvescentibus hirtus. Alæ hyalinæ, elongatulæ, macula stigmatica angusta perpallida; nervus tertius reliquis obscurior, costa paullo post ejus finem desinens; cellula discoidalis parva trapezoidalis in medio alæ; nervus sextus valde abbreviatus.

Mas e Coroico (Bolivia).

7. *Rhamphomyia leucophenga* n. sp. ♂.

Præcedenti simillima, at tibiis intermediis simplicibus et metatarsis non incrassatis in mare distincta.

Species hæc omnibus partibus præcedenti æqualis est, et non nisi pedum intermediarum structura distincta; tibiæ intermediæ pilos duos longos externe gerentes, unum in medio alterum apicem versus.

Exemplaria duo e Coroico (Bolivia).

8. *Rhamphomyia villosipes* n. sp. ♂.

Nigra antennis palpisque concoloribus, pedibus luteis, thoracis dorso argenteo, setis acrostichalibus longiusculis biseriatis, dorsocentralibus longis utrinque quatuor, scutelli margine postico quadrisetoso, abdomine nitidiusculo orichalceo, alis hyalinis, macula stigmatica elongata brunnescenti, cellula discoidali parva, nervo sexto abbreviato.

♂ tibiis metatarsisque pedum omnium, at præsertim intermediarum, dense et longe villosis, hypopygio parvo clauso inappendiculato.

Long. corp. mm. 3—3·5, alar. mm. 4.

In eadem sectione cum duobus præcedentibus locanda, chætotaxia alarum forma ac nervatione et thoracis tomento omnino æqualibus, at colore et hirsutie pedum optime distincta.

Oculi a fronte lineari vix sejuncti, areolis superis majoribus; antennæ nigræ, articulo tertio non elongato stylo crasso prædito; setæ ocellares atque occipitales perlongæ; palpi nigri apicem versus breviter setosi; probosceis nigra altitudine capitis parum longior. Thorax planus, una cum scutello tomento argenteo tectus, lateribus griseo-nigris; setæ validæ, dorsocentrales antice productæ; humeralis una, præsuturales duo, supraalaris una utrinque; setæ scutellares validæ et inter se distantes; setæ metapleurales nigræ. Squamæ nigro fimbriatæ; halteres fuscii. Abdomen longe fusco-pilosum; hypopygium clausum griseum, appendicibus, quæ in præcedentibus observantur, destitutum. Pedes lutei, tarsorum apice excepto; coxæ extus paullo grisescentes; tibiæ anticæ extus et intus pilos densos grisescentes gerentes, in metatarsis breviores; tibiæ et me-

tatarsi postici extus pilis omnium longissimis hirtæ; tibiæ ac metatarsi intermedii pilos confertiores et obscuriores, at simul breviores, gerentes. Alæ at in præcedentibus, macula stigmatica distinctiori.

Exemplaria quatuor e Callanga (Peruvia).

9. *Rhamphomyia dolichocera* n. sp. ♂.

Nigra, parum nitida, pedibus haustello abdominisque basi luteis, halteribus fuscis, antennarum articulo tertio elongato, setis acrostichalibus nullis, pedibus gracilibus, alis hyalinis elongatis, cellula discoidali extus acuminata.

♂ pedibus simplicibus, hypopygio parvo clauso.

Long. corp. mm. 3, alar. mm. 4.

A præcedentibus structura parum diversa, at distincta corpore graciolori et longitudine articuli tertii antennarum; neareticæ *gracili* affinis, atque a nostra europæa *longicorni* non multo distans.

Oculi cohærentes, areolis superis paullulo majoribus; setæ ocellares atque occipitales validæ; proboscis lutea, capite paullo longior; antennæ nigræ, haustelli longitudinem æquantes, articulo tertio valde elongato et stylo brevi prædito; palpi nigri. Thorax niger, paullulo nitens, leviter griseo-tomentosus, omnino nudus setis tamen validis; humeralis una, præsuturales duo, supraalaris una, dorsocentrales quatuor utrinque antice productæ; scutellum setis quatuor marginatum; pili metapleurales nigri. Calli humerales angustissime rufescentes. Squamæ et halteres luride lutei. Abdomen gracile, nigrum, basi præsertim subtus luteo-translucidum, pilis fuscis longiusculis præditum; hypopygium parvum, peni clauso, superne breviter biappendiculatum. Pedes graciles, elongati, pilosi, pallide lutei tarsis fuscis; femora postica versus apicem et tibiæ quoque fuscæ; tibiæ posticæ apice distincte incrassatæ; pili breviusculi, setis longioribus tamen hinc inde commixtis, præsertim in pedibus posticis in latero infero femorum et externo tibiæ; seta longissima unica in basi tibiæ posticarum extus notanda. Alæ elongatæ, hyalinæ, macula stigmatica brunnea, nervis tenuibus pallidis, sexto abbreviato; cellula discoidalis magna, extus nervo transverso obliquo limitata; alarum costa breviter ciliata.

Exemplaria duo e Callanga (Peruvia).

10. *Rhamphomyia orthoneura* n. sp. ♂.

Præcedenti omnino similis, pedibus obscurioribus, alis minus elongatis, cellula discoidali parva margine externo recto.

Long. corp. mm. 3, alar. mm. 3.5.

Coloratione ac forma præcedenti fere æqualis; pedibus paullulo

obscurioribus tamen distincta, femoribus immo posticis apicem versus nigricantibus. Præcipua tamen distinctionis nota in brevitate alarum invenienda atque in sequenti parvitate cellulæ discoidalis, cujus forma quoque valde diversa: nervus nempe externus non obliquus at rectus, ideoque cellula discoidalis apicem versus truncata non acuta est.

Exemplum unicum e Callanga (Peruvia).

11. *Rhamphomyia pulchriventris* n. sp. ♂ ♀.

Nigra, nitida, nigro-pilosa, pedibus concoloribus rufogeniculatis. halteribus nigris, abdomine cyaneo-viridi, antennarum articulo tertio paullulo elongato, alis hyalinis, nervis nigris, macula stigmatica elongata angusta nigro-fusca, cellula discoidali extus recta.

♂ oculis connexis, tibiis intermediis in latere antico setis longis 5—6 præditis, metatarsis intermediis subtus basi setis 1—2 præditis, hypopygio parvo clauso, cellula discoidali parva in medio alæ.

♀ oculis anguste remotis, femoribus tibiisque quatuor posterioribus superne breviter pennatis, lamellis terebræ valde elongatis, cellula discoidali dilatata ad marginem posticum alæ producta.

Long. corp. mm. 3·5—4, alar. mm. 4—4·5.

Species pulchra, in utroque sexu bene distincta, a duobus præcedentibus non longe distans, *Rh. cyanogastri* WHEEL. et MEL. quoque affinis.

Setæ capitis longæ ac validæ: haustellum nigrum, vel brunneum, capitis altitudinem æquans; palpi nigri: antennæ nigræ, articulo tertio elongato quamvis non ut in præcedentibus duobus. Thorax niger, callis humeralibus rufescentibus, validus, convexusculus, levissime cinereo-tomentosus, omnino nudus præter setas validas; acrostichales nullæ; dorsocentrales quatuor antice productæ, humeralis una longa, posthumerales duo, præsuturales duo: scutellum setis quatuor validis præditum: pili metapleurales nigri, longi. Halteres et squamæ nigræ, istæ pilis longis nigris fimbriatæ. Abdomen breve, pilis longiusculis fuscis, supra cyaneum, lateribus viride, subtus aliquando paullulo luteo-translucidum; hypopygium parvum, peni clauso supra tantum paullo perspiciendo; laminæ laterales supra appendicibus duobus parvis præditæ; abdomen feminae longe acuminatum, lamellis terebræ apicalibus nigris elongatis. Pedes breviusculi, validi, nigri, basi tibiæ tantum anguste rufa, aliquando femora postica versus basin obscure rufescentia; in mare pilosi, tibiis tarsisque setis longioribus præditis, coxis villosis, tibiis posterioribus versus apicem paullo incrassatis setis longis præditis præsertim 5—7 uniseriatis in latere antico; apud feminam breviores absque setis longis, femoribus mediis ac posterioribus supra et paullulo etiam subtus, tibiis

mediis ac posterioribus latere externo squamis brevibus brunneis pennatis. Alæ nervis validis, nigris, sexto abbreviato; cellula discoidalis in fœmina latior, fere usque ad marginem alæ ducta; costa prope basin setosa.

Exemplaria nonnulla utriusque sexus e Callanga (Peruvia).

12. *Rhamphomyia abdominalis* n. sp. ♂.

Nigra, nitida, abdomine cyaneo-viridi, pedibus antennis halteribusque nigris, alis cellula discoidali perparva.

♂ tibiis intermediis apice clavatis, confertim pilosis, setis apicalibus longiusculis, metatarso intermedio subtus basi setis 3—4 longis prædito.

Long. corp. mm. 3·5, alar. mm. 3·5.

Præcedenti certe affinis, at obscurior et distincta. Proboscis capitis altitudine longior; antennæ articulo tertio minus elongato. Thorax niger nitidus tomento nullo, setis ut in præcedente sed minus validis et brevioribus. Abdomen nigrum, viridescens in lateribus obscure violaceum in medio; hypopygium parvum clausum. Pedes omnino nigro-nitidi, pilosi at setis longioribus nullis; tibiæ intermediæ clavatæ, extus protuberantes, versus apicem longe setosæ, metatarso subtus setis nigris validis. Alæ ut in præcedenti, at manifeste breviores, macula stigmatica majori, cellula discoidali valde breviori quam in mare præcedentis.

Exemplar unum e Coroico (Bolivia).

13. *Rhamphomyia rotundipennis* n. sp. ♀.

Nigra, nitidiuscula, pedibus brunnescentibus, haustello crasso capiti æquilongo, antennarum articulo tertio distincte elongato.

♀ femoribus tibiisque posterioribus pennatis, alis magnis rotundatis cellula discoidali parva.

Long. corp. mm. 2·5, alar. mm. 2·3.

Species parva, characteribus variis distincta.

Oculi a fronte nigra nitida anguste sejuncti; antennæ longæ, nigre; proboscis brevis crassa; palpi brunnei; setæ capitis breves. Thorax validus, niger, dorsocentralibus brevibus utrinque quatuor, acrostichalibus nullis, lateralibus solitis validis; scutellum setis quatuor, quarum laterales valde breviores, præditum; pili metapleurales nigri. Squamæ nigre et nigro-pilosæ; halteres desiderantur, at verisimiliter nigri sunt. Abdomen basi latum apici acutum, parce pilosum, nigrum-nitidum superne paullulo violaceo-micans; terebra mediocris, lamellis terminalibus elongatis. Pedes breves, postici validiores ac complanati, lutescenti-translucidi, fere nudi; in intermediis femora utrinque ac tibiæ extus pennata; in posticis femora utrinque longius pennata, tibiæ extus et in latere quoque

interno breviter pennata. Alæ cinereæ, iridîscentes, in margine antico obscuriores, macula stigmatica vix ulla, fere rotundatæ; cellula discoidalis perparva; nervi longitudinales secundus et tertius paullulo flexuosi ideoque cellula submarginalis, quæ valde elongata est, forma irregulari gaudet; nervus sextus abbreviatus.

Fœmina e Vilcanota (Peruvia) visa.

Gen. LAMPREMPIS (WHEEL. et MEL.) MEL.

Genus hocce, adhuc ex America tantum cognitum, non bene definitum videtur. Ut subgenus *Empidis* pro speciebus nonnullis ex America centrali primo conditum, præmature forsan postea ad dignitatem generis proprii elevatum fuit: characteres allati de coloratione metallica, parcite setarum, pedum ornamentis, hypopygii forma, in quibusdam *Empidis* speciebus quoque inveniuntur ac præterea non exacte definendi sunt.

Inter species hic descriptas duo inveniendæ sunt quæ hoc genus infirmant: *Lamprempis gemmea* nempe et *Empis ambigua*, quarum prima notas aliquas distinctivas gen. *Empidis*, secunda gen. *Lamprempidis* præbet, at tamen antennarum forma in contrario genere unaquæquæ locanda.

Genus tamen *Lamprempis* pro speciebus peruvianis ac bolivianis hic ut validum considero, at, præter colores metallicos, generis notam distinctionis præcipuam in forma antennarum sic constituo: articulus primus valde elongatus, tertio æquilongus vel longior, ac simul utrinque ciliatus. Specierum ab auctoribus jam descriptarum, gen. *Lamprempidi sens. meo* adnumerandæ videntur: *cyanea* BELL., *suavis* et *superba* LW., *chichimeca* WHEEL. et MEL. sine dubio; *columbi* et *dolichopodina* SCHIN., *violacea* LW., *benigna* et *diaphorina* O. S., *setigera* et *viridis* COQUILL. verisimiliter.

Species hic descriptæ sic distinguendæ:

- 1 (4) Thoracis dorsum vittis tribus longitudinalibus albotomentosis præditum, nervi duo primi e cellula discoidali exeuntes apicem versus incurvi, oculi in mare supra antennis connexi et pedes in eodem sexu p. part. squamato-pennati.
- 2 (3). Alæ ad nervos transversos fusco-maculatæ, antennarum articulus tertius primo fere æquilongus, femora postica maris in medio apophysibus prædita et tibiæ posticæ ad apicem intus tuberculatæ.
tuberifera n. sp.
- 3 (2). Alæ nervis transversis non fusco-limbatis, antennarum articulus tertius primo brevior, femora et tibiæ postica maris apophysibus nullis.
calopoda n. sp.

- 4 (1). Thoracis dorsum vittis nullis longitudinalibus, nervi duo primi cellulae discoidalis recti, oculi maris supra antennis remoti (subtus conjuncti?) et pedes omnino simplices. *gemmea* n. sp.

14. *Lampremis tuberifera* n. sp. ♂ ♀.

Nigra, viridi et violacei nitens, thoracis dorso vittis tribus longitudinalibus albo-pollinosis, haustello luteo brevi crasso, antennarum articulo primo obscure lutescente valde elongato utrinque ciliato, pedibus luteis coxis posterioribus nigris, alis hyalinis macula stigmatica oblonga nigro-fusca, nervis transversis fusco-limbatis, nervis primo et secundo e cellula discoidali exeuntibus apicem versus sursum incurvatis et evanescentibus.

♂ oculis connexis, hypopygio parvo clauso peni crasso luteo supra emergente, femoribus posticis prope basin nigro-callosis et in medio apophysi magna lutea bipartita præditis, tibiis posticis retro squamato-pennatis, intus ad apicem tuberculo magno nigro præditis.

♀ oculis remotis, terebra sub lamellas apicales mucronata, tibiis intermediis extus, femoribus tibiisque posticis utrinque squamato pennatis.

Long. corp. mm. 4—4.5, alar. mm. 4.

Species pulcherrima, in utroque sexu notis plurimis bene distincta; *Empis columbi* SCHIN. fors. affinis.

In mare oculorum areolæ superæ inferis paullulo majores; facies in utroque sexu ac frons in fœmina nitidissimæ nigræ violaceo-micantes; setæ ocellares brevissimæ atque pili occipitales perbreves; pars postica capitis cinereo-tomentosa; palpi non bene distinguendi, haustellum crassum luteum capiti vix æquilongum. Antennæ valde elongatæ, porrectæ, adpressæ, articulo primo sequentes simul sumptos longitudine æquante, secundo parvo rotundato, tertio longo nigro, stylo subtili brevi prædito; articuli duo primi plus minusve, præsertim in mare, lutescentes; articulus tertius omnino nudus, dum duo basales supra et subtus pilis densis ac longiusculis ciliati sunt. Thorax validus, quadratus, parum convexus, nigro-violaceus nitidus, lateribus tamen griseo-tomentosis et in medio vittis tribus opacis æquidistantibus albidis; pili et setæ parum distincti ac breves, metapleurales tantum densi et longi, nigri; scutellum nitidum, nigro-violaceum, setis quatuor brevibus in margine postico. Halteres brunneo-nigri; squamæ nigræ, brevissime fimbriatæ. Abdomen nitidum, viridi-ac violacei-nitens, interdum aliquantulo subtus luteo-translucidum, fere nudum; hypopygium parvum rotundatum inferum, breve pilosum, clausum filo supra tantum distinguendo; terebra brevis, lamellis nigris, ac subtus mucrone distincto prædita. Pedes lutei, apice tantum tarsorum

et coxis quatuor posterioribus nigris; antici breviter pilosi, metatarsis in utroque sexu paullulo incrassatis; intermedii in mare breviter pilosi ac simplices, in fœmina tibiis extus squamis angustis paullulo fimbriatis; postici in mare valde peculiare ac reliquis validiores, trochantera maculam nigram versus apicem præbent, femora subtus in apice trientis primi callo nigro elevato prædita atque in medio apophysin magnam, articulatam ac verisimiliter mobilem, luteam, in partes duas divisam cujus apicalis minor, præbent; in latere interno serie setarum spiniformium brevium prædita, et apicem versus paullulo infuscata sunt; tibiæ complanatae, extus squamato-ciliatae intus pilosæ, in medio fasciculo pilorum longiorum præditæ et versus apicem intus tuberculum magnum nigrum nitidum, breviter nigro-pilosum, in parte distali a tibia separatum. præ-




Fig. 1. *Lamprempis tuberifera*, n. sp. — Ala.

bentes. Apud fœminam quoque pedes postici nota digni sunt: femora supra et subtus pilis squamiformibus paullo prædita; tibiæ latæ ac planæ, intus pilis squamiformibus angustis biseriatis præditæ extus squamis nigris latis uniseriatis; apicem versus nigrae sunt, at nulla tuberculi maris vestigia invenienda. Alæ breviusculæ, in utroque sexu æquales, hyalinæ levissime versus medium infuscatæ; macula stigmatica ovata nigricans; ramus superior nervi tertii longitudinalis perpendicularis, fuscolumbatus pariter ac nervi transversus qui cellulam disoidalem extus delimitant; hæc parva trapezoidalis; nervus sextus abbreviatus; nervi duo primi e cellula discoidali exeuntes flexuosi, sursum incurvi et apicem versus evanescentes.

Exemplaria nonnulla e Vilcanota (Peruvia).

15. *Lamprempis calopoda* n. sp. ♂ ♀.

Nigra, chalybei et viridis valde nitens, thoracis dorso vittis tribus longitudinalibus postice confluentibus albis, pleuris albo-striolatis, haustello crasso brevi nigro, antennis nigris porrectis articulo primo valde elongato utrinque ciliato, pedibus nigris femoribus præter basin luteis tarsisque albis metatarsis quatuor anterioribus et articulo ultimo nigris, alis hyalinis vel in medio leviter infumatis; macula stigmatica rotundata

brunnea (aliquando in immaturis subobsoleta), nervis duobus primis e cellula discoidali exeuntibus sursum incurvis et apicem versus evanidis.

♂ oculis connexis, hypopygio parvo clauso infero peni non prominente, metatarsis quatuor anterioribus distincte incrassatis et cum tibiis propriis dense nigro-pilosis, femoribus posterioribus subtus tibiisque posticis utrinque squamato-pennatis.

♀ oculis remotis, terebra subtus non mucronata, metatarsis quatuor anterioribus minus crassis, femoribus intermediis subtus posticisque utrinque tibiis omnibus metatarsisque quatuor anterioribus utrinque squamato-pennatis.

Long. corp. mm. 4—4·5, alar. mm. 4·3—4·7.

Præcedente adhuc pulchrior, a qua notis plurimis distincta, quamvis antennarum forma persimilis.

Oculi sub antennis sejuncti, ideoque facies maris ut in femina lata ac, ut feminae frons, violacea nitidissima; setæ atque pili capitis parum distincti; pars posterior capitis undique albo-tomentosa; haustellum capitis altitudinem vix æquans; palpi brevissimi nigri; antennæ ut in præcedente sed omnino nigræ atque articulo tertio medietatem primi tantum æquante. Thorax validus, nitidissimus, violaceus, setis non distinguendis at satis pilosus præsertim in parte postica; pili metapleurales conferti ac longi, nigri; pleuræ nigro-nitidæ, viridi-cyanei metallice micantes, striolis parvis horizontalibus albis pictæ; in dorso pictura ex tomento albo ficta, eleganter disposita, notanda est, vittis longitudinalibus tribus postice dilatatis ac confluentibus constituta, quarum duo externæ versus callos humerales antice extus incurvæ, ac postea usque ad suturam in lateribus disci continuatæ. Scutellum convexum, nigrum nitidissimum setis brevibus 6—10 in margine postico; halteres nigri, squamæ brunnescentes breviter fimbriatæ. Abdomen nitidissimum, breviter obscure pilosum, in medio violaceum lateribus viridescens, interdum in ventre aliquantulo luteo-translucidum; hypopygium parvum nigrum pilosum peni non perspicendo; terebra mucrone infero caret. Pedes in utroque sexu pariter picti: coxæ ac trochanteres nigra, femora lutea quatuor anterioribus anguste ad basin posticis dimidio basali nigris, tibiæ nigræ, tarsi albi articulo ultimo ac metatarsis quatuor anterioribus nigris. In mare tibiæ quatuor anteriores, præsertim intermediae, ac tarsi proprii confertim pilosa; squamæ majores in tibiis posticis observandæ; tarsi postici valde graciles et breves, metatarso supra pilos paucos longos gerente. Alæ omnino ut in præcedente, at longiores, nervis transversis minime fusco-limbatis ac macula stigmatica rotundata non ovato-elongata.

Exemplaria aliqua e Callanga (Peruvia).

16. *Lamprempis gemmea* n. sp. ♂.

Nitidissima, thoracis dorso chalybeo vittis nullis, pleuris et scutello viridibus, abdomine viridi cupri-nitente, antennis elongatis porrectis nigris adpressis articulo primo elongato utrinque ciliato, haustello pedibusque luteis, alis hyalinis, macula stigmatica pallida elongata, venis prima et secunda e cellula discoidali exeuntibus rectis apicem versus obsoletis.

♂ oculis sub antennis arcte et longe connexis (?), supra remotis, pedibus simplicibus, hypopygio parvo infero peni luteo crasso supra prominulo.

Long. corp. mm. 3, alar. mm. 3.5.

Species hæc notis plurimis a duobus præcedentibus recedit, illis tamen forma antennarum proxime affinis. Notam omnium præcipuam oculi sub antennis conjuncti præbent, res ita singularis ut tamquam accidentalem in unico specimine putarem atque ab exsiccatione ortam.

Frons triangularis, nitidissima, cyaneo-nitens; oculi mox sub antennis arcte et longe coherentes, areolis superis inferis paullo majoribus; setæ ocellares longiusculæ; capitis pars posterior tomento obscure cinereo tecta; haustellum capite brevius, validum, luteum, palpis luteis perparvis; antennæ nigræ, ut in præcedentibus fictæ, articulo tertio primi circiter æquilongo stylo brevi et subtili prædito. Thoracis dorsum nitidissimum, tomento omnino nullo, coloribus metallicis pulcherrimis, parce pilosum etiam in parte postice; pili metapleurales conferti nigri; scutellum setis 4 validis marginatum. Halteres brunneo-lutescentes, squamæ infuscatæ. Abdomen nitidissimum, viride, in medio cupri-nitens, prope basin pilis paucis nigris; hypopygium parvum inferum, non bene distinguendum, peni luteo supra prominente, subtus appendices duo nigræ. Pedes breves, omnino lutei coxis trochanteribus tarsorumque articulis tribus apicalibus nigris, simplices, pilos paucos æquales gerentes. Alæ hyalinæ, macula stigmatica ovali vix distinguenda, nervis pallidis; cellula discoidalis parva trapezoidalis, ramus superior nervi tertii longitudinalis perpendicularis, nervi duo primi e cellula discoidali exeuntes apicem versus obsoleti at non incurvi.

Exemplar unicum e Coroico (Bolivia).

Gen. EMPIS LINN.

Multæ in hoc genere ex America meridionali ab auctoribus descriptæ species aliis generibus sine dubio pertinent; species genuinæ a me observatæ sic distinguendæ.

- 1 (4). Halteres nigricantes; pedes partim lutei; nervi tertii longitudinalis ramus superior perpendicularis.

- 2 (2). Parva, nitida, fere nuda, metallice nitens; antennæ nigrae; nervus primus e cellula discoidali prodiens sursum incurvus. *ambigua* n. sp.
- 3 (2). Magna, opaca, valde pilosa; antennæ basi luteæ; nervi e cellula discoidali exeuntes recti. — — — — — *lucidilabris* n. sp.
- 4 (1). Halteres lutescentes; pedes omnino nigri; nervi tertii longitudinalis ramus superior obliquus.
- 5 (6). Palpi magni porrecti, longe et confertim pilosi; thoracis dorsum nigrovittatum; abdomen cinereum, opacum; metatarsi subtus spinuloso-setosi. — — — — — *micropyga* n. sp.
- 6 (5). Palpi minores, parce pilosi; thoracis dorsum vittis nullis; abdomen nigrum, nitidissimum; metatarsi subtus inermes. — — — *bullata* n. sp.

17. *Empis ambigua* n. sp. ♀.

Nigra, nitidissima, violacei et viridi nitens, antennis brevibus nudis nigris basi fuscis, pedibus brunneo-fuscescentibus tarsis præter apicem nigrum albo-luteis, alis hyalinis, macula stigmatica obsoleta, cellula discoidali parva, nervi tertii longitudinalis ramo supero perpendiculari, nervo primo e cellula discoidali exeunte sursum incurvo, nervo sexto valde abbreviato, angulo axillari obtuso.

♀ femoribus posticis subtus tibiisque posticis utrinque ciliato-pennatis.

Long. corp. mm. 2·5, alar. mm. 2·5

Notis variis species hæc gen. *Lamprempis* recordat, ac coloratione a *gemmea* parum dissimilis est; antennis tamen brevibus melius in gen. *Empis* locanda.

Oculi parvi, facies et frons nitidissima nigro-violacea; setæ ocellares et verticales breves at validæ; caput retro cinereo-tomentosum; haustellum luteum capiti æquilongum; palpi nigri pilo longo apicali præditi; antennæ breves, basi nudæ, articulis duobus primis brevissimis, tertio ovali duos primos æquante, stylo antennæ æquilongo prædito. Thoracis dorsum nitidissimum, vittis nullis, in pleuris obscure griseo-tomentosum, fere nudum; pili metapleurales longi, nigri. Halteres nigro-brunnei, squamæ fuscae fimbriatæ. Abdomen nitidum, metallice magis nitens, basi parce nigro-pilosum; terebra mediocris nigra, lamellis terminalibus elongatis. Pedes breves, metatarsis anticis paullo incrassatis; brunnei ac lutescente translucidi, forsan immaturitatis causa; tarsi albidii, præter apicem infuscatum; parce et breviter pilosi, antici fere nudi, posticorum femora ac tibiæ ciliato-pennata, ciliis æqualibus. Alæ hyalinæ, macula stigmatica nulla (an immaturitate?) fere ut in *Lamprempis tuberifera* venosæ.

Exemplar unicum e Vilcanota (Peruvia).

18. *Empis lucidilabris* n. sp. ♂.

Nigra, opaca, cinereo-tomentosa, thoracis dorso nigro-trivittato, antennarum articulis duobus primis femorum apice tibiæ basi tarsisque luteis, facie inferne nitida, setis humeralibus et præsuturalibus pluribus scutellaribusque quatuor, alis cinereis basi fusco-lutescentibus, nervis transversis paullulo fusco-marginatis, nervo sexto integro.

♂ oculis connexis, tibiis præsertim intermediis dense villosis setis longioribus permixtis, tarsorum intermediarum articulis duobus primis setis longis undique hirtis, hypopygio perparvo appendicibus quatuor, duobus superis majoribus, prædito.

Long. corp. mm. 6.5, alar. mm. 7.

Species majuscula, forma antennarum ac pedum hirsutæ distincta; *E. Landbecki* PHIL. forsan affinis.

Caput magnum, oculis supra antennis arcte cohærentes; facies latiuscula, griseo-tomentosa, parte infera elevata ac nitidissima brunneo-rufescente; setæ ocellares longæ, pili in parte postica capitis conferti; haustellum bis capitem æquans, brunneo-nigrum; palpi lutei breves fere nudi; caput in parte postica nigrum griseo-tomentosum; antennæ pallide luteæ, capitis longitudinem æquantes, articulo tertio basi excepta nigro, ovato-elongato, stylo crasso antennis longiore prædito. Thoracis dorsum nigrum, cinereo-tomentosum, callis humeralibus atque maculis quibusdam in parte infera pleurarum prope coxas leviter rufescentibus; in dorso vitta media lata nitens usque ad collum perducta et duo laterales angustiores antice abbreviatæ distinguendæ; a latere antico visa, vitta media divisa videtur ita ut thorax quadrivittatus dici posset; setæ validæ, acrostichales biseriatæ, dorsocentrales plurimæ utrinque in seriebus binis dispositæ, in lateribus dorsi ac in humeris setæ multæ observantur inter quas aliquæ majores, præscutellares longæ, setæ scutelli quatuor longæ; pili metapleurales conferti nigri longissimi; stigma prothoracale nigrum. Halteres brunneo-nigri, squamæ brunneæ fere nudæ. Abdomen breve obtusum, in medio cinereum opacum, in lateribus nigrum nitidiusculum, omnino nigro-pilosum, pilis basalibus longis et confertis; hypopygium perparvum, peni non distinguendo, pilis nigris longiusculis, appendiculis quatuor nigris nitidis hamiformibus sursum incurvis, per paria dispositis, superis longioribus. Coxæ et trochanteres nigra; femora basi nigra apicem versus rufo-lutescentia, antica latius; tibiæ nigrae, basi et intus rufo-lutescentes; tarsi pallide lutei, articulo ultimo nigro ac metatarsis anticis posticisque infuscatis; femora antica parce pilosa, intermedia omnium pilosissima præsertim subtus prope basin et in trochanteribus; femora postica subtus serie pilorum longorum at non confertorum prædita; tibiæ anticæ undique pilis nigris confertis hirtæ

pilis longioribus nullis; posticæ quoque confertim pilosæ, at pilis aliquibus longioribus commixtis; intermediæ pilis brevibus confertis multis longioribus commixtis; metatarsi antici posticique incrassati, pilis confertis ac setis longis præsertim postici præditi; tarsi intermedii articulos duos basales tertiumque quoque paullisper, undique setis longis nigris præditos præbent. Alæ cinerascentes, basi lutescentes, macula stigmatica nulla, nervo tertio longitudinali recto atque paullo ante alæ apicem desinente ramo supero fere perpendiculari leviter fusco-limbato; cellula discoidalis elongata, extus fusco-limbata; nervus sextus usque ad alæ marginem validus; angulus axillaris acutus.

Exemplar unum e Callanga (Peruvia).

19. *Empis micropyga* n. sp. ♂ ♀.

Nigra, griseo-tomentosa, longe nigro-pilosa et setosa, thoracis dorso vittis quatuor atris, scutello setis 8—10 marginalibus, antennis nigris basi pilosis articulo tertio ovali, palpis magnis porrectis longe villosis atris, halteribus luteis, pedibus simplicibus nigris metatarsis præsertim posticis subtus spinuloso-setosis, alis griseis macula stigmatica fusco-elongata angustissima, cellula discoidali parva, ramo supero nervi tertii longitudinalis obliquo, nervo sexto integro usque ad alæ marginem excurrente.

♂ oculis connexis, abdomine nitidiusculo apicem versus inflato-rotundato, at hypopygio perparvo infero clauso.

♀ oculis remotis, fronte lata ad oculorum margines setis plurimis prædita, abdomine cinereo acuto, lamellis terebræ apicalibus longis rectis.

Long. corp. mm. 5·5—6, alar. mm. 5·5—6·5.

Species notis plurimis insignis, at præcipue setis frontalibus feminae.

Caput parvum: oculi rotundi apud marem breviter connexi unde frons triangularis cinereo-tomentosa supra antennis distincta, areolis superis inferis distincte majoribus; apud feminam oculi late remoti unde frons valde latus, griseo-cinereus, apud margines oculorum setis plurimis brevibus antice incurvis multiseriatis præditus; facies nuda, cinerea; palpi nigri, clavati, permagni, pilis nigris longis confertis præsertim in mare undique hirsutis; haustellum nigrum capite longius: antennæ capiti æquilongæ nigrae, articulis duobus basalibus brevibus valde pilosis, articulo tertio ovato-elongato acuto stylo crasso æquilongo prædito; setæ ocellares ac verticales longæ, caput retro pilis setuliformibus præditum. Thorax validus, dense griseo-tomentosus, præsertim in pleuris; in medio dorsi vittæ duo longitudinales completæ, duobus lateralibus minus distinctis latioribus antice truncatis concomitatæ, notantur; setæ longæ ac validæ.

acrostichales biseriatæ longissimæ, dorsocentrales in serie parum ordinata posticæ longissimæ, humerales præsuturales et supraalares plurimæ longitudine diversa, scutellares marginales 8—10 longæ apicales plerumquæ decussatæ; pili metapleurales conferti ac nigri; stigma prothoracis nigrum. Halteres albo-lutei, squamæ brunneæ tenuiter nigro-fimbriatæ. Abdomen in mare nigrum paullulo nitidum quia tomento griseo levissime tantum conspersum, valde crassum, breve, cylindricum, apicem versus obtusum quia segmentum ultimum hemisphæricum magnum, hypopygio clauso parvo pediformi subtus pendente; pilis confertis nigris longis omnino hirtum etiam in ventre, segmentis singulis margine postico serie macrochètarum cinctis; apud fœminam abdomen valde minus, complanatum, tomento griseo dense obtectum, apicem versus acutum, minus et brevius pilosum macrochètis nullis. Pedes nigri, griseo-tomentosi, breviter pilosi ac setosi, in utroque sexu simplices; femora subtus setis spiniformibus prædita; tibiæ extus setis validis biseriatis præditæ; metatarsi postici ac medii subtus setulis spiniformibus, brevibus ac validis, per paria æquidistanter distributis præditi; in mare metatarsi antici subtus tantum pilosi dum in fœmina spinulosi sunt. Alæ grisescentes, in utroque sexu æquales, nervis regulariter dispositis; angulus axillaris acutus.

Exemplaria nonnulla e Callanga (Peruvia).

20. *Empis bullata* n. sp. ♂.

Nigra, nigro-pilosa, thoracis dorso non vittato parce setoso acrostichalibus nullis, scutello quadrisetosus, abdomine pedibusque nigris nitidissimis, antennis palpisque concoloribus, halteribus flavis, alis griseo-fuscis-macula stigmatica elongata nigricante, cellula discoidali parva, nervi tertii longitudinalis ramo supero obliquo, nervo sexto integro.

♂ oculis connexis, abdominis apice inflato, hypopygio perparvo postice acuminato.

Long. corp. mm. 4·5, alar. mm. 5.

Præcedenti affinis, at chætotaxia aliisque notis distinctissima.

Oculi connexi, areolis superis paullo majoribus; vertex, frons parva triangularis, facies et caput retro nigra; setæ ocellares distinctæ, posteriores capitis breves; antennæ capitis longitudinem æquantes, articulis duobus basalibus parvis parce pilosis, articulo tertio lineari elongato stylo brevi; palpi mediocres pilis paucis sed longis; haustellum nigrum capite longius. Thoracis dorsum nigrum, vittis nullis, leviter griseo-tomentosum, nudum, setis dorsocentralibus utrinque quatuor, humerali una, præsuturalibus tribus, supraalari una; scutellum quadrisetosum, setis intermediis longioribus decussatis; pili metapleurales conferti nigri. Squamæ brunneæ nigro-fimbriatæ, halteres lutei. Abdomen nigrum, nitidissimum,

basi parce nigro-pilosum, segmentis singulis in lateribus macrochaëtis longis in margine postico præditis; apicem versus incrassatum quia segmentum ultimum hemisphæricum et penultimum lateribus subtus utrinque in bullam inflatum, hypopygium perparvum acutum horizontale clausum breviter nigro-pilosum, peni supra paullo prominulo. Pedes nigri, nitidi, postici reliquis longiores, fere nudi, setis longiusculis validis paucis: intermedii femoribus subtus serie setarum tibiisque extus setis tribus utrinque per paria dispositis præditis; femora postica subtus spinulis æquidistantibus uniseriatis prædita, tibiæ intus pilis tenuibus ciliatæ extus setis 8—10 series duas efficientibus præditæ; metatarsi breviter pilosi, spinulis subtus nullis. Alæ regulares; nervus tertius longitudinalis apicem versus retro paullo incurvus in apice alæ excurrens; angulus axillaris acutus.

Exemplar unum e Coroico (Bolivia).

Nota. *Empis* quædam e Coroico nimis male ad describendum servata quoque adest; ab omnibus hic descriptis diversa, alarum nervo sexto abbreviato, tibiis mediis posticisque longe setosis et haustello valde elongato.

Gen. HILAREMPIS nov. gen.

Genus hoc novum pro speciebus nonnullis ab auctoribus *Hilaris* adscriptis constituendum puto, quæ tamen a gen. *Hilara* genuino nervo auxiliari costam alarum non attingente præcipue distinguendæ sunt.

Gen. *Hilarempis* ut *Hilara* oculos maris non conjunctos, haustellum plus minusve breve, setas vel pilos metapleurales nullos et hypopygium plerumque adpressum præbet. Ab *Hilara* tamen distinctum nervo auxiliari ante costam desinente, nervi tertii longitudinalis ramo supero brevi, metatarsis anticis maris nunquam incrassatis; ab *Empide* setis vel pilis metapleuralibus nullis, haustello breviori, angulo axillari alarum latius semper aperto (ut in *Empidis* speciebus quibusdam). Genus hoc a distributione geographica naturale indicatum, quia species tantum in hemisphæro australi inventæ: de notæ istius validitate atque exemplis vide F. W. HUTTON in præfatione *Indicis Faunæ Novæ Zealandiæ*, London 1904, p. 11—20.

Empis hilaræformis et *cyanescens* ex Australia a me in *Annal. Mus. Nat. Hungar.* II. p. 340—343 (1904) descriptæ, generi isto certe adscribendæ sunt. Immo species *Hilaræ* quas cl. LÖEW in *Dipterenfauna Südafrikas* p. 267—268 (1860) ex Africa meridionali descripsit, nempe *cervina*, *sordida* et *heterogastra*, verisimiliter gen. *Hilarempidi* referendæ sunt, *castanipes* autem vera *Hilara* esse videtur. Species *Hilaræ* quas auctores ex America meridionali descripserunt, fere omnes generi

Hilarempidi referendas puto; cl. THOMSON in *Eugeniæ Dipteris* (1858) p. 473, in descriptione *H. holosericeæ* e Patagonia manifeste dicit: *nervo mediastino a costa longe remoto in mediâ ala desinente, cum costa haud connexo*, et apud *H. brachyrhyncam* (p. 474. etiam e Patagonia): *H. mauræ simillima, sed nervo mediastino cum costa haud conjuncto facillime distinguenda*. Dr. R. A. PHILIPPI quinque *Hilaræ* species e regione cilena descripsit, quarum *breviventris* gen. *Apalocnemi*, *lugens* gen. *Empidi*, reliquas gen. *Hilarempidi* pertinere puto; at species nonnullas *Empidis* quoque a PHILIPPI descriptas *Hilarempidi* brevitate proboscidis adscribendas puto, nempe *dumicola*, *fulva*, *spinulosa*, *tephrodes*. *Hilara vanellus* SCHINER, Novara Diptera 206, e Columbia, verisimiliter *Hilarempis* est, ut *H. laticornis*, *magellanica* et *ochracea* BIGOT e Cap Horn, et *H. macrocera* BIGOT e Chile.

Species contra gen. *Hilaræ* ex America septentrionali descriptæ, quarum plures mihi in natura obviæ, omnes veræ *Hilaræ* sunt.

Species in collectione obviæ ita distinguendæ:

- 1 (2). Antennarum basis, coxæ et venter lutea. — — — *xanthocera* n. sp.
- 2 (1). Antennæ totæ nigræ; coxæ et venter cinerea.
- 3 (4). Facies barbata; palpi nigricantes; thoracis dorsum villosum; scutellum setis 8—14 marginatum; tibiæ nudæ. — — — *polychæta* n. sp.
- 4 (3). Facies nuda; palpi lutei; thoracis dorsum præter setas fere nudum; scutellum setis 4—6 marginatum; tibiæ extus setosæ.

nudifacies n. sp.

21. *Hilarempis xanthocera* n. sp. ♂.

Nigra, cinereo-tomentosa, abdomine supra argenteo-micante, antennarum basi palpis coxis femoribus halteribus ventrequè luteis, haustello crasso capite breviorè, facie pilis paucis tenerrimis, thoracis dorso vittis quatuor atris, seta humerali magna, scutello piloso setis quatuor marginalibus, alis angustis elongatis cinereis nigro-nervosis apice infuscatis, nervo sexto abbreviato.

♂ oculis sejunctis, hypopygio mediocri erecto minus adpresso, metatarsis anticis levissime incrassatis.

Long. corp. mm. 6, alar. mm. 7.

Species valde distincta, habitu *hilaræ*formi, alis elongatis angustis; *Hilara vanellus* SCHIN. forsân affinis.

Oculi ovati, marginibus anterioribus a vertice usque ad epistomium parallelis, areolis supra et subius æqualibus; frons tomento cinereo-obscuro tecta, lateribus prope oculos pilis distinctis prædita; setæ ocellares longæ ac validæ; facies grisea pilis tenerissimis pallidis; caput retro cinereum, superne nigrosetulosum inferne pallide pilosum; antennæ capiti æquilongæ, articulis duobus basalibus pallide luteis fere æquilongis

et parce nigro-pilosis, articulo tertio conico elongato basi luteo apicem versus infuscato, stylo nigro antenna breviori, articulo apicali subtili distincto, prædito; palpi lutei magni pilis longis pallidis; haustellum crassum, luteum, labellis rotundatis nigris luteo-pilosis. Thorax elongatus, dense griseo-tomentosus, callo humerali anguste rufescente, pleuris immaculatis, in dorso vittis quatuor atris, quarum intermediæ integræ approximatae lineam pallide griseam acrostichalem includunt, laterales latiores minus determinatæ antice abbreviatæ sunt; pili acrostichales breves quadriseriati, setæ dorsocentrales breves utrinque uniseriatæ, humeralis unica valida, præsuturales tres, supraalares duo, præscutellaris una; pleuræ omnino nudæ, stigmatis albis; scutellum in disco parce pilosum, setis quatuor marginalibus intermediis decussatis præditum. Squamæ luteæ pallide fimbriatæ, halteres albo-lutei. Abdomen adpressum nigrum, supra tomento griseo distincte argenteo-micante tectum, fere nudum segmento basali pilos aureos longos gerente excepto; venter omnino luteus, segmenti singuli in margine posteriori lateribus quoque lutei; hypopygium nigrum, pilis brevibus obscuris, parvum, paullulo inflatum, abdomen non superans. Pedes longiusculi, fere nudi; coxæ luteæ, trochanteres lutei macula parva nigra apicali infera; femora lutea, postica tamen in medietate apicali annulum latum infuscatum præbentia, et extus versus apicem pilis longis nonnullis prædita; tibiæ longius pilosæ setis parvis commixtis, nigræ, versus basin paullulo lutescentes, posticæ tamen minus distincte; tarsi omnino nigri, pilosi. Alæ angustæ valde elongatæ apicem versus leviter infuscatæ; cellula discoidalis majuscula nervis transversis externis leviter fusco-limbatis; macula stigmatica brunnea angustissima; angulus axillaris obtusus.

Exemplar unicum (deinde partim fractum) e Callanga (Peruvia).

22. *Hilarempis polychæta* n. sp. ♂ ♀.

Cinerea, abdomine cano-micante, thoracis dorso nigro quadrivittato, antennis nigris, palpis coxisque cinereis, pedibus rufescentibus plus minusve infuscatis, halteribus flavis, facie dense et longe barbata, thorace longe hirtio setis humeralibus nullis, scutelli margine setis plurimis prædito, alis cinereis nervo sexto abbreviato.

♂ oculis remotis, fronte nigra, pedibus fusciscentibus, metatarso antico simplici, hypopygio lato rotundato, lamellis lateralibus supra spina longa præditis.

♀ statura minori, oculis magis remotis fronte cinerea, pedibus rufescentibus, abdomine acuminato (an hujus?).

Long. corp. mm. 4.5—5.5, alar. mm. 5.5—6.5.

Exemplar fœmineum paullo diversum statura minori pedibusque pallidioribus; at notis faciei scutelli thoracisque huic speciei verisimiliter referendum.

Tres adhuc cognitæ species gen. nearctici *Empimorpha* COQUILL. ab ista longe distantes et non nisi faciei hirsutie similes.

Oculi in utroque sexu fere æquales, areolis æque parvis; frons in fœmina paullo latior, lateribus pilis in mare longioribus prædita; facies cinerea, longe et confertim pilosa præsertim in mare; pili in parte postica capitis conferti superne nigri inferne pallidi; antennæ nigræ, cinereo-tomentosæ, articulis duobus basalibus parvis pilosis, tertio elongato stylo apici mucronulato prædito; palpi nigro-cinerei valde pilosi; haustellum crassum nigrum capite brevior. Thorax niger, cinereo-tomentosus, pleuris immaculatis, in dorso ut in præcedenti quadrivittatus; pili in mare valde longi et conferti, acrostichales irregulariter 2—4-seriatæ, dorso-centrales 2—3-seriatæ, seta humeralis non distinguenda, præsuturales et alares in pilis reliquis abditæ; scutellum in disco nudum, setis tamen marginalibus plurimis ac confertis; stigmata alba. Squamæ luridæ, longe albo-fimbriatæ; halteres lutescentes, in mare capitulo infuscato. Abdomen nigrum, non adpressum, superne cano-tomentosum; segmenti singuli, præsertim in mare, margine postico anguste lutescente; pili pallidi longiusculi; hypopygium non adpressum (an apertum?), lamellis lateralibus inflatis rotundatis pilosis superne aculeo longo rufescenti præditis, pene lutescenti supra emergente. Pedes pilosi, in mare obscuriores tibiis tantum lutescentibus, coxis trochanteribusque in utroque sexu obscuris, pilis longis pallidis præsertim in femoribus et in latere externo tibiæ antice distinctis, in fœmina tamen minus pilosi. Alæ ut in præcedente, in proportionem tamen minus angustæ; macula stigmatica nigra linearis, nervi externi cellulæ discoidalis non infuscati; angulus axillaris in mare fere rectus in fœmina valde obtusus.

Exempla duo e Callanga (Peruvia).

23. *Hilarempis nudifacies* n. sp. ♂ ♀.

Cinerea, thorace rubiginoso vittis duobus longitudinalibus medianis albo-cinereis, abdomine cano, antennis nigris, palpis luteis, halteribus luridis, pedibus fusco-rufescentibus tibiis omnibus extus serie setarum 5—8 præditis, thoracis dorso parum piloso, seta humeralis magna, scutelli margine 4—6-setoso, facie nuda in medio tuberculata, alis non elongatis cinereo-hyalinis, cellulæ basalis secundæ nervo marginali infero fusco-marginato, nervo sexto abbreviato.

♂ oculis remotis, pedibus anticis longe hirsutis, metatarsis simplicibus, hypopygio adpresso elevato.

♀ oculis remotis, pedibus anticis nudiusculis, abdomine subtiliter acuminato.

Var. ♂ ♀ pedibus rufis, coxis tarsorumque articulis ultimis exceptis.

Long. corp. mm. 4·5—5, alar. mm. 4·5—5.

Species notis plurimis peculiaribus valde distincta, colore pedum paullo variabilis.

Oculi rotundi, areolis æqualibus; frons fœminæ quam in mare paullo latior, rubiginosa, in lateribus breviter at confertim pilosa; caput retro albo-cinereum, superne pilis setuliformibus nigris inferne pilis teneris pallidis præditum; facies brevis, lata, nuda, cinerea, in medio tuberculum rotundatum elevatum rubiginosum præbens; antennæ nigrae ut in præcedentibus factæ; palpi magni clavati, pallide pilosi, pallide lutescentes et griseo-tomentosi, interdum in latere interno infuscati; haustellum breve infuscatum, pilis luteis. Thorax griseus, plus minusve infuscatus, lateribus interdum cæsiis, in dorso rubiginosus, vittis duobus angustis parallelis albo-cinereis antice integris postice in maculam unicam ante scutellum confluentibus; pili in dorso parum distincti et valde breves, acrostichales tamen irregulariter biseriatæ ac dorsocentrales uniseriatæ ægre observandæ; optime distinguendæ contra setæ laterales, ubi pili nulli, una humeralis valida, præsuturales tres, supraalaris una, una præscutellaris; scutellum albo-cinereum, setis 4—6 (plerumque 4) majoribus marginalibus, aliqua minori interdum commixta. Stigmata alba; halteres luride luteo-fusci; squamæ lutescentes pallide fimbriatæ. Abdomen non compressum, pallide pilosum, superne cano-tomentosum at non argenteo micans, singulorum segmentorum limbo postico lutescenti; hypopygium clausum, lamellis lateralibus rufescentibus; terebra fœminæ subtilis, brevis, lamellis terminalibus elongatis. Pedes in utroque sexu æquales, breviusculi ac colore variabiles; coxæ et trochanteres semper cinerea, at reliquæ partes apud exempla aliqua rufo-lutescentes apud aliqua brunneo-fuscae sunt; pili parum distincti, exceptis pedibus anticis maris ubi pluri ac conferti; peculiare pro hac specie setæ 6—9 æquidistantes in latere externo tibiæ omnium præsertim posticarum. Alæ regulares, minus angustæ, nigro-nervosæ, macula stigmatica nigricante lineari, nervo transverso in margine externo infero cellulae basilaris secundæ plerumque fusco-marginato, cellula discoidali versus apicem non infuscata.

Exempla nonnulla e Callanga (Peruvia) visa; in varietate pedibus rufis distincta, latera thoracis in fœmina cæsia sunt.

Gen. HAPLOMERA Macq. emend. SCUDDER.

Characteres *Hilarempidis*, a qua differt femoribus posticis incrassatis quam tibiis propriis valde longioribus; præterea articulo tertio antennarum valde elongato, thoracis setis valde minoribus, setis humeralibus nullis (ne pilis longioribus quidem), nervo sexto alarum magis elongato, terebra fœminæ non prominente.

A genere *Hilara*, cui habitu affinis, pariter ac *Hilarempis* distinctum et præterea femoribus posticis incrassatis; a genere *Empide* pari modo distinctum, et a speciebus sectionis *Pachymeriæ*, femoribus subtus nudis (setisque metapleuralibus carentibus) diversum. Nota distinctionis peculiaris in fœmina terebra retracta, unde abdomen apice obtusum, videtur; in utroque sexu autem reductio pilorum setarumque in thorace et pedibus quoque notanda.

Genus hoc a cl. MACQUART in *Dipteris exoticis* I. 2. 163. 3. (1839) pro specie cilena conditum, ut validum accipiendum est et bene definitum videtur. Nomen a MACQUART erronee *Aplomera* scriptum (in tabula XIII *Anodontina* legitur) in *Haplomera* recte mutandum, ut cl. SCUDDER in *Nomenclator zoolog. Univ. Index* p. 141 constituit, quia ab ἀπλός = simplex fictum.*

Species *Pachymeriæ* e regione cilena a cl. PHILIPPI descriptæ fere omnes (*annulata* tantum excepta) Gen. *Haplomeræ* referendæ; *Empis brachystoma* PHIL. brevitate haustelli huic generi referenda videtur, pedibus posticis villosis tamen dubia.

Species in collectiuncula servatæ hoc modo distinguendæ sunt:

- 1 (2). Thoracis dorsum nigricans vittis longitudinalibus distinctis nullis; pedes antici in mare metatarso simplici. — — — — *gymnopoda* n. sp.
- 2 (1). Thoracis dorsum cinerascens vittis quatuor longitudinalibus nigris; metatarsus pedum anticorum in mare distincte incrassatus.

notogramma n. sp.

24. *Haplomera gymnopoda* n. sp. ♂ ♀.

Nigra, cinereo-tomentosa, thoracis dorso nitidiusculo vittis nullis, palpis halteribus ventre pedibusque totis luteis, antennis nigris articulo tertio elongato pubescente, scutello setis 6 marginalibus prædito, pedibus fere nudis tomentosis femoribus posticis incrassatis perlongis, alis cinereo-hyalinis elongatis, margine breviter fimbriato, macula stigmatica elongata pallida, nervo tertio in apice alæ excurrente ramo supero obliquo undu-

* Nomen forsân e ἀ privativo atque ὅπλος = arma fingendum cl. MACQUART in animo habebat (ut ab altero nomine *Anodontina* intelligi potest): at tunc genus *Anoplomera* vocandum erat, nomen postea (1846) a GUÉRIN in Coleopteris adhibitum.

lato, sexto longo apicem versus spurio marginem non attingente, angulo axillari valde aperto.

♂ oculis remotis, metatarso antico simplici, abdomine nigro cinereo, hypopygio parvo compresso erecto semilunari.

♀ oculis magis remotis, abdomine apice obtuso terebra parva retracta.

Long. corp. mm. 3·5—4, alar. mm. 4·5—5.

Species gracilis, fere nuda, hilaræformis, alis elongatis.

Caput parvum; oculi in utroque sexu late remoti, areolis æque parvis; frons nigra, lateribus breviter pilosa, tomento fusco-cinereo, ut facies et occiput, tecta; setæ ocellares distinctæ nullæ, occiput quoque brevissime pilosum, antennæ capite longiores, obscuræ, articulis duobus basilibus brevissimis et fere nudis, articulo tertio valde elongato lineari sensim acuminato pubescente, stylo brevi prædito; palpi lutei, breves et crassi, breviter pilosi; haustellum luteus, capiti circiter æquilongum. Thorax rotundatus niger, in dorso paullo nitens, tomento levissimo unde vittæ nullæ; humera contra pleuræ et pars postica dorsi ante scutellum tomento albo-cinereo dense induta; fere nudus, setis duobus præsuturalibus brevibus utrinque tantum distinguendis, pilis acrostichalibus dorso-centralibusque vix distinctis. Scutellum albo-cinereum; halteres albi, squamæ lutescentes albo-fimbriatæ; stigmata obscura. Abdomen non compressum, rare et tenere pallido-pilosum, tomento cinereo valde fusco pro partim ni-ro-velutino indutum; hypopygium parvum compressum incurvum brunneo-translucidum, pedunculatum, ab abdomine disjunctum; in fœmina abdomen obtusum, terebra brevi retracta in ultimo abdominis segmento abdita. Pedes fere nudi, tenere tantum tomentosi, breves et validi, omnino pallide lutei tarsis apicem versus femoribusque posticis in medio paullo infuscatis; tibiæ posticæ leviter incurvæ et intus pilis æqualibus ciliatæ; femora postica incrassata, tibiis valde longiora, subtus nuda tantum pallide tomentosa. Alæ longissimæ, iridescentes; cellula discoidalis magna trapezoidalis in medio alæ.

Exempla tres e Callanga (Peruvia); *Pachymeria argentata* PHIL. huic speciei affinis videtur, coxis cinereis tamen distincta.

25. *Haplomera notogramma* n. sp. ♂ ♀.

Nigra, cinereo-tomentosa, thoracis dorso opaco vittis quatuor longitudinalibus nigris, palpis ventre pedibusque luteis, halteribus luride fuscis, antennis nigris articulo tertio elongato pubescente, scutelli margine setis 4—6 brevibus prædito, pedibus brevissime pilosulis femoribus posticis elongatis incrassatis, alis cinereo-hyalinis perlongis margine tenere fimbriato, macula stigmatica elongata pallida, nervo tertio longi-

tudinali in alæ apice excurrente ramo supero obliquo undulato, sexto longo apicem versus spurio marginem non attingente, angulo axillari valde aperto.

♂ oculis remotis, metatarso antico distincte incrassato, abdomine cano-micante, hypopygio parvo compresso erecto semilunari.

♀ oculis magis remotis, abdomine apice obtuso terebra retracta.

Long. corp. mm. 4—4.5, alar. mm. 5.5—6.

Præcedenti valde affinis, at paullo magis valida, alis immo longioribus et notis variis bene distincta.

Caput omnino ut in præcedente, tomento cinereo pallidiori indutum; pili adhuc breviores. Thorax fere nudus, opacus, pallide griseo-tomentosus, vittis duobus longitudinalibus medianis integris lateralibusque duobus laticribus minus determinatis antice interruptis nigris exornatus, spatium inter vittas duas medias tomento pallidiori indutum pilosque breves acrostichales in series duas inter se distantes positos gerens; pili dorsocentrales valde breves, uniseriati, setæ præsuturales quoque perparvæ; pleuræ cinereæ, stigmata albida. Scutellum cinereum, setis brevibus, brevioribus aliquibus commixtis, margine præditum; halteres fusciscentes; squamæ luteæ, pallide fimbriatæ. Abdomen ut in præcedente, in mare tamen supra tomento cano micante indutum; terebra ut in præcedente retracta; hypopygium quoque æquale, in exemplo viso paullo hians, lamellas laterales supra appendiculas quatuor, quarum duo externæ majores pilosæ, gerentes et penem nigrum acuminatum, ostendit. Alæ omnino ut in præcedente, tamen longiores, in mare angustæ in fœmina paullo latiores.

Exempla duo copulata, die 30. XII. 95. capta, e Cillutincara (Bolivia) visa.

26. *Apalocnemis variegata* n. sp. ♂

Rufo-lutea, nigro-pilosa, pleuris cinereis, pedibus luteis, thorace rufo ad alarum radicem nigro unimaculato, triente postico cinereo, in medio vittis tribus media nigra lateralibus albo-cinereis prædito, scutello cinereo subtus rufo in medio macula nigra magna setis circiter 12 confertis marginalibus, proboscide valde brevi vix exserta horizontali, antennis brevibus articulo tertio rotundo rufo nigro-marginato stylo longo crasso, alis cinereis hyalinis non elongatis leviter fusco variegatis, macula stigmatica magna lata ovali fusca, nervo tertio in alæ apice excurrente ramo supero obliquo, cellula discoidali magna, nervo sexto longo apicem versus spurio, angulo axillari acuto angusto.

♂ oculis connexis, hypopygio parvo supra appendicibus quatuor brevibus, pedibus simplicibus femoribus posticis setis longiusculis præditis.

Long. corp. mm. 5, alar. mm. 5.5.

Species pulcherrima, eximie picta, in hoc genere secundum descrip-

tionem cl. PHILIPPI satis proprie locanda. Gen. *Apalocnemis* gen. *Glomæ* satis proximum videtur; distinctio gen. *Gloma* ab *Oreogeton* a cl. SCHINER non bene definita, quia nota styli antennarum a specie hic descripta infirmatur et ramus superus nervi tertii longitudinalis non nisi abnormiter basi fractus. Genera ista hoc modo melius interim distinguenda puto:

- a* (*b*) Metapleuræ pilosæ vel setosæ.* — — — — — *Oreogeton* SCHIN.
b (*a*) Metapleuræ omnino nudæ.
c (*d*) Antennarum stylus plus minusve brevis crassus. — *Apalocnemis* PHIL.
d (*c*) Antennarum stylus subtilis elongatus. — — — — — *Gloma* MEIG.

Species nearcticæ *obscura* Lw., *rufa* Lw. et *scopifera* COQUILL. gen. *Oreogeton* vel *Apalocnemis* referendæ sunt, a *Glomis* genuinis excludendæ; *Gl. phthia* WALK. ænigma constituit.

Caput magnum rotundatum; oculi connexi areolis superis distincte majoribus; triangulum ocellare atque frontale nigra; caput retro cinereum, pilis confertis setuliformibus nigris; margo ocularis posticus serie setarum cinctus; barba nigra; setæ ocellares ac verticales validæ; antennæ brevissimæ rufo-luteæ, articulis basalibus brevibus, terminali rotundo margini externo nigro; stylus crassus niger antennis longior, articulo brevi basali distincto; haustellum nigrum horizontale e cavitare oris non prominens; palpi magni lutei parce et breviter pilosi. Thorax rotundatus validus, in pleuris lateribus disci et parte postica cinereus, in disco et in parte antica rufus; apud basin alarum macula magna trapezoidalis nigro-velutina notatur; vitta media lata in thoracis disco quoque nigro-velutina, antice integra postice subtilis indeterminata, vittæ laterales contra albo-tomentosæ; scutellum in disco late nigro-velutinum; pleuræ omnino nudæ, dorsus contra nudum at setis validis præditum: acrostichales brevissimæ biseriatæ, dorsocentrales utrinque circiter 11 usque ad collum extensæ, anticæ tamen breviores et confertiores, paria duo ante scutellum longissima atque in macula rotunda nigra distincta infixa, humerales tres, quarum superior magis valida, præsuturales tres, interalares duo, supraalares 4—5 in serie dispositæ, marginales scutelli validæ ac confertæ. Halteres lutei, capitulo lurido; squamæ albæ longæ luteo-fimbriatæ; stigmata lutea. Abdomen cylindricum, apicem versus paullo attenuatum, maculis parvis obscuris parum distinctis in lateribus segmentorum præsertim posticorum; pili omnino nigri longiusculi, præsertim basi et lateribus; margo posticus segmentorum anguste albidus et serie setarum præditus; venter albo-cinereo-tomentosus. Hypopygium parvum obtusum luteum, pilis parvis nigris; supra appendices quatuor breves pilosæ distinguuntur. Pedes simplices, lutei, breviter pilosi, femoribus

* Nota ista a cl. GIRSCHNER jam allata (*Ill. Wochenschr.* 1897).

posticis pilis longis uniseriatis subtus ciliatis. Alæ breves et latæ, cinereo-hyalinæ paullulo variegatæ, quia in medio cellularum maculæ obscuræ et lutescentes alterne dispositæ distinguuntur et nervi in medio lutei versus apicem et in transversis nigri sunt; macula stigmatica magna ovata brunneo-lutescens, in medio magis fusca, subtus nervum secundum longitudinalem fere attingens; costa basi ciliata, intus seta longa prædita; nervus auxiliaris longus, primo longitudinali arcte proximus, paullo ante



Fig. 2. *Apalocnemis variegata* n. sp. — Ala.

costam interruptus; furca nervi tertii recta, ramo supero infero vix breviori; cella discoidalis magna, extus incurva et ibi nervi transversī aliquantulo fusco-limbati; nervus sextus subtilis, maxima parte spurius, marginem alæ non attingens; alarum basis lutescens.

Exemplum unum e Callangā (Peruvia).

Gen. HEMERODROMIA MEIG.

Genus hoc ut a cl. MEIGEN conditum, speciebus dummodo femoribus anticis raptoriiis consideratis, in decursu alæ nervorum valde variat; multa itaque genera minora ab auctoribus proposita fuerunt, quæ hoc modo distinguenda puto:

- 1 (6) Nervus tertius simplex.
- 2 (3). Antennarum stylus longe plumatus. ... — *Ptilophyllodromia* BEZZI.
- 3 (2). Antennarum stylus nudus, vel microscopice tantum pubescens.
- 4 (5). Cellula discoidalis completa. *Phyllodromia* ZETT. (= *Chirromantis* RDL.
= *Thamnodromia* MEX. = *Litanomyia* MEL.)*
- 5 (4). Cellula discoidalis incompleta, extus aperta.
Chelipoda MACQ. (= *Lepidomyia* BIG.)
- 6 (1). Nervus tertius furcatus.
- 7 (8). Cellulæ analis et discoidalis apertæ, nervus quartus furcatus.
Microdromia BIG. (= *Hemerodromia* s. str. COQUILL.)

* Figuram alæ *Litanomyiæ mexicanæ* a cl. MELANDER in *Trans. Am. Ent. Soc.* XXVIII. pl. VII. f. 63 (1902) allatam ab alæ *Phyllodromiæ* distinguere non possum, ac nullæ distinctionis notæ in ceteris characteribus inveniendæ sunt.

- 8 (7). Cellula analis completa.
 9 (12). Cellula posterior secunda pedunculata.
 10 (11). Cellula discoidalis aperta. — — — — — *Metachela* COQUILL.
 11 (10). Cellula discoidalis completa. *Hemerodromia* s. str.* (= *Chelifera* MACQ. = *Mantipeza* RDL. = *Polydromia* BIG.)
 12 (9). Cellula posterior secunda non pedunculata.
 13 (14). Cellula discoidalis cum basali secunda confusa. *Neoplasta* COQUILL.
 14 (13). Cellula discoidalis a basali secunda separata. *Cladodromia* nov. subg.**

Sed genera tres tantum distincta consideranda sunt, alia ut subgenera modo accipienda, ut sequitur:

1. *Ptilophyllodromia* BEZZI 1904. A. *Ptilophyllodromia* BEZZI 1904.
B. *Cladodromia* nov. subg.
 3. *Hemerodromia* MEIG. 1822 C. *Hemerodromia* BIG. 1857.
D. *Metachela* COQUILL. 1903.
E. *Hemerodromia* s. str.
F. *Neoplasta* COQUILL. 1896.
G. *Cladodromia* nov. subg.

CL. PHILIPPI in opere de Dipteris chilensibus, 1865, species plures *Hemerodromiæ* descripsit, quæ omnes nervum tertium furcatum præbent; in *H. nigrimanae* descriptione de nota ista attamen silet, species igitur in gen. *Chelipoda* pertinere potest. Secundum descriptiones species Philippianæ hoc modo distinguuntur, duabus novis quoque adjectis.

- a (b). Cellula discoidalis incompleta. — — — — — *bivittata* PHIL.
 b (a). Cellula discoidalis completa.
 c (r). Cellula posterior secunda non pedunculata.
 d (k). Antennæ nigræ, vel fuscæ basi tantum lutescente.
 e (h). Coxæ et femora antica plus minusve infuscata.
 f (g). Thorax vittis longitudinalibus distinctis; alæ macula stigmatica pallide
 brunnea. — — — — — *nigrimana* PHIL.
 g (f). Thorax non distincte vittatus; alæ macula stigmatica nulla. *inca* n. sp.
 h (e). Pedes omnino lutei.
 i (j). Thorax cinereum vitta nigra media longitudinali; halteres luridi.
 canis n. sp.
 j (i). Thorax non vittatus; halteres flavi. — — — — — *flavipes* PHIL.
 k (d). Antennæ lutescentes vel flavæ.
 l (m). Thorax aterrimus, non vittatus. — — — — — *semilugens* PHIL.
 m (l). Thorax cinereus, vel partim lutescens aut rufescens.

* Nomen *Hemerodromiæ* pro hac sectione retinendum, quia in hac sectione species typica, *H. monostigma* MG. = *precatoria* FALL. invenitur.

** Nomen a κλάδο; = ramus atque δρόμος = cursus fictum.

- n* (o). Thorax fusco-cinereus, nigro-univittatus. — — — *pratincola* PHIL.
o (n). Thorax partim rufus vel fulvus.
p (q). Mesonotum fulvum, vitta nigra nulla; scutellum fulvum. *bicolor* PHIL.
q (p). Mesonotum rufum vitta media nigra; scutellum nigrum. *analisis* THOMS.*
r (c). Cellula posterior secunda pedunculata. — — — — *pallida* PHIL.

Hemerodromia vittata F. LYNCH, *El Natur. argent.* I. 294. 5. (1878)
 ex Argentina, sectioni *Phyllodromia* generis *Chelipoda* pertinet. Inter
 species supra nominatas, quæ omnes *Hemerodromiæ* s. lat. sunt, *bivittata*
 ad sectionem *Microdromia*, *pallida* ad sectionem *Hemerodromia* s.
 str., reliquæ verisimiliter omnes ad sectionem novam *Cladodromia* per-
 tinent.

27. *Hemerodromia (Cladodromia) inca* n. sp. ♂ ♀.

Nigra, nitidiuscula, prorsus nuda, setis duobus ocellaribus, quatuor
 verticalibus, præsuturali et supraalari una utrinque scutellaribusque duo-
 bus erectis, antennis fuscis basi lutescentibus articulo tertio ovali stylo
 brevi prædito, halteribus pedibusque quatuor posterioribus, coxis exceptis,
 luteis, coxis femoribusque anticis infuscatis, alis hyalinis macula stigma-
 tica nulla, cellulis basalibus anali et discoidali completis, cellula posteriori
 secunda non pedunculata.

♂ hypopygio supero rotundato brevi clauso sessili, parce nigro-
 piloso, lamellis lateralibus hemisphæricis nigris nitidissimis.

♀ abdomine obtuso, terebra brevi vix exserta, lamellis terminalibus
 nigris.

Long. corp. mm. 2·7—3, alar. mm. 3·5.

Species valde distincta; ex descriptione *nigrimanae* PHIL. similis
 videtur; de nervi tertii forma ac de coloratione antennarum in brevi de-
 scriptione nihil dicitur. ideoque positio dubia; in tabula analytica supra
 allata nervum tertium furcatum et antennis obscuras cepi.

Caput mediocre; oculi rotundi, in utroque sexu æquales, supra an-
 tennas latius quam subtus remoti, ideoque frons facie bis latior; areolæ
 oculorum anteriores, circa sinum antennale, reliquis paullulo majores;
 facies tomento albo nitente tecta, frons griseo-nigra; setæ duo ocellares
 breves ac validæ, verticales duo utrinque longiores ac versus latera sitæ;
 setulæ parcissimæ in parte infera capitis vix inveniuntur; caput retro
 nigrum, circa margines oculorum cinereum; antennæ perbreves, articulis
 basalibus minimis, nudis, luteo-fuscis, tertio ovali, nigro-lurido, articulos
 duo primos non bis æquante; palpi subtiles, acuti, albidii, parce pilosi;
 haustellum nigrum, validum, retro incurvum, antennarum longitudinem

* *Eugenia* Dipt., 474. 47. (1858) e Patagonia.

circiter æquans. Thorax elongatus, validus, subtiliter punctulatus, mesosterno valde magno; niger, nonnihil nitens, tomento levi griseo-obscuro prope carinas laterales indutus, in medio sulciolo distincto lateralibusque duobus minus distinctis præditus, omnino nudus præter quatuor macrochætas laterales validas erectas; scutellum parvum rotundum nigrum punctulatum, sulco transverso basali distincto, setis duobus apicalibus erectis parallelis; metanotum nigrum punctulatum convexum, quam scutellum tamen minus elevatum. Halteres albidī; squamæ albidæ, longe pallido-fimbriatæ; stigmata nigra. Abdomen thorace brevius, cylindricum, nudum, nigrum nitidum margine postico segmentorum anguste cinereo; hypopygium inflatum, sessile, lamellis lateralibus nitidissimis. Pedes fere




Fig. 3. *Hemerodromia inca* n. sp. — Ala.

omnino nudi, pilis tantum brevissimis sparsis; quatuor posteriores arcte approximati ab anticis longe remoti, æquales, coxis et trochanteribus nigris, femoribus tibiis ac tarsis luteis, istis apicem versus leviter infuscatis. Pedes antici capiti proximi; coxæ femorum longitudinem æquantes; femora valde crassa, subtus subtiliter denticulata spinulisque nonnullis nigris prædita; tibiæ femoribus breviores, leviter incurvæ, intus ad apicem calcari acuto terminatæ; color luteo-fuscus, at coxæ et femora valde infuscata, fere nigra præsertim extus; tibiæ ac tarsi lutea, articulis ultimis fuscis. Alæ hyalinæ, iridescentes, immaculatæ, nervis pallidis; costa antice fere nuda, margo posterior contra fimbriatus; basi anguste cuneiformes; cellulis ac nervis omnibus completis, sexto tamen excepto spurio marginem non attingente.

Exempla duo e Callanga (Peruvia).

28. *Hemerodromia (Cladodromia) cana* n. sp. ♂.

Præcedenti omnino similis, at grisea, opaca, pilosula, antennarum articulo tertio rotundato, thoracis dorso vitta media lata longitudinali fusca, scutello atro sulco basali nullo, abdomine cano-griscescente, pedibus rufescentibus, coxis femoribusque anticis non infuscatis.

♂ hypopygio elongato, basi pedunculato, lamellis lateralibus atris opacis supra mucronatis.

Long. corp. mm. 3.3, alar. mm. 3.5.

Præcedenti fere æqualis, at coloratione et hypopygii forma certe distincta; *H. flavipedi* PHIL. similis videtur.

Frons tomento griseo-obscuro induta; antennæ ut in præcedente, at articulus tertius brevior, fere rotundus, stylo longiore et subtiliore præditus, et articuli basales fusciores, fere nigri; pili in parte infera capituli confertiores. Thorax opacus, ubique tomento cinereo-fusco tectus, vitta nigra media postice latiori scutellum tegente; macrochætæ ut in præcedente, at linea media thoracis et latera prope carinas brevissime quoque pilosula. Halteres luridi; squamæ fuscae. Abdomen cano-tomentosum, hypopygio aliter constructo, pilis pallidis longioribus prædito. Pedes rufescentes, non lutei, coxis trochanteribus quatuor posterioribus nigris; setæ spiniformes in latere infero femorum anticorum longiores. Alæ omnino ut in præcedente, nervis tamen obscurioribus.

Exemplum unum e Callanga (Peruvia).

29. *Tachydromia pluto* MEL., Trans. Am. Ent. Soc. XXVIII. 217. t. VI. f. 39. [*Platypalpus*] (1902).

Exempla duo fœminea e Coroico (Bolivia), paullulo immatura, quæ cum hoc specie ex California et Idaho descripta satis bene conveniunt; exemplar masculum typicum e San Diego Co. Cal., in collectione mea quoque adest. Palpi albidi (an immaturitatis causa?) non nigri. Setæ ocellares duo, verticales validæ utrinque duo valde laterales, humeralis una parva, præsuturales duo quarum posterior valde major, supraalaris et præscutellaris longissima utrinque una; scutellares duo longæ. Callus in confluentia nervi primi longitudinalis cum costa magnus, in fœmina tantum observandus.

Nota 1. Conclusionis instar enumerationem Empididarum hucusque ex America meridionali cognitarum hic tradere nisus sum; de speciebus tamen a cl. PHILIPPI in opere pluries citato descriptis iudicium valde difficile, ideoque dispositio enumerationis sequentis ut probabilis solum consideranda.

Brachystoma MEIG.

1. bicolor BIGOT 1889. — Chile.
2. fuscum PHIL. 1865. — Chile.
3. leptideum PHIL. 1865. — Chile.
4. memorale PHIL. 1865. — Chile.
5. nigricorne PHIL. 1865. — Chile.
6. stigmaticum PHIL. 1865. — Chile.

7. testaceum PHIL. 1865. — Chile.

8. vittigerum PHIL. 1865. — Chile.

Blepharoprocta LOEW.*

9. ambigua PHIL. 1865. — Chile.
10. melanogastra PHIL. 1865. — Chile.
11. thoracica PHIL. 1865. — Chile.

* Species istæ a cl. PHILIPPI in subgenere suo *Heterophlebus* positæ fuerunt, quod nil aliud nisi *Blepharoprocta* Lw. 1862 est; nomen *Heterophlebus* PHIL. 1865 in omnibus Nomenclatoribus, etiam in *Universal Index* SCUDDERI, desideratur.

Homalocnemis PHIL.¹

12. *nigripennis* PHIL. 1865. — Chile.

Hybos MEIG.

13. *crassipes* (F. 1805.) WIED. 1828. — Amer. merid.
 14. *curvipes* (F. 1805.) WIED. 1828. — Amer. merid.
 15. *dimidiatus* (WALK. 1852.) MEL. 1902. Brasilia.
 16. *hyalopterus* n. sp. — Peruvia.
 17. *integer* WALK. 1852. — Brasilia.
 18. *lutens* WIED. 1830. — Brasilia.
 19. *neotropicus* n. sp. — Peruvia, Bolivia.
 20. *piceus* WIED. 1830. — Brasilia.
 21. *pilosus* SCHIN. 1868. — Columbia, Peruvia, Amer. merid.
 22. *quadrinotus* (F. 1805.) WIED. 1828. Amer. merid.
 23. *ruficollis* WALK. 1852. — Brasilia.
 24. *stigmaticus* SCHIN. 1868. — Columbia, Amer. merid.

Lactistomyia MEL.

25. *insolita* MEL. 1902. — Brasilia.

Syneches WALK.

26. *phæopterus* n. sp. — Peruvia.
 27. *pyramidatus* n. sp. — Peruvia.

Bicellaria Macq.

28. *collina* PHIL. 1865. — Chile.²

Rhamphomyia MEIG.

29. *abdominalis* n. sp. — Bolivia.
 30. *boliviana* n. sp. — Bolivia.
 31. *dolichocera* n. sp. — Peruvia.
 32. *ferruginea* (F. 1805.) WIED. 1818. — Amer. merid.³
 33. *leucophenga* n. sp. — Bolivia.
 34. *nigriventris* Macq. 1845. — Brasilia.
 35. *orthoneura* n. sp. — Peruvia.

36. *pulchrivertris* n. sp. — Peruvia.
 37. *rotundipennis* n. sp. — Peruvia.
 38. *tephrodes* PHIL. 1865. — Chile.
 39. *villosipes* n. sp. — Peruvia.

Lampremis MEL.

40. *calopoda* n. sp. — Peruvia.
 41. *columbi* SCHIN. 1868. — Columbia.
 42. *dolichopodina* SCHIN. 1868. — Amer. merid.
 43. *gemmea* n. sp. — Bolivia.
 44. *tuberifera* n. sp. — Peruvia.

Empis L.

45. *ambigua* n. sp. — Peruvia.
 46. *annulata* PHIL. 1865. — Chile.
 47. *antarctica* WALK. 1837. — Magellanus.
 48. *anthracina* BIGOT 1888. — Cap Horn.
 49. *argyrozona* PHIL. 1865. — Chile.
 50. *atra* (WIED. 1830.) SCHIN. 1868. — Brasilia, Amer. merid.
 = *penthophora* WIED. 1830.
 = *penthoptera* SCHIN. 1868.
 51. *bullata* n. sp. — Bolivia.
 52. *catoxanthus* BLANCH. 1852. — Chile.
 53. *collina* PHIL. 1865. — Chile.
 54. *coxalis* THOMS. 1858. — Patagonia.
 55. *dumetorum* PHIL. 1865. — Chile.
 56. *fimbria* WALK. 1852. — Brasilia.
 57. *flavinervis* PHIL. 1865. — Chile.
 58. *fulva* WALK. 1837 nec Macq. 1823. — Magellanus.
 59. *gracilipes* PHIL. 1865. — Chile.
 60. *Landbecki* PHIL. 1865. — Chile.
 61. *lobalis* THOMS. 1858. — Patagonia.
 62. *lucidilabris* n. sp. — Peruvia.
 63. *lugens* PHIL. 1865. — Chile.
 64. *macrorrhyncha* PHIL. 1865. — Chile.
 65. *macrura* BIGOT 1889. — Argentina.
 66. *micans* SCHIN. 1868. — Amer. merid.
 67. *micropyga* n. sp. — Peruvia.
 68. *nudipes* Macq. 1839. — Chile.
 69. *ochropus* PHIL. 1865. — Chile.
 70. *pachymera* Macq. 1839. — Chile.

¹ Genus quoad positionem valde dubiosum.

² In gen. *Cyrtoma* descripta, at valde dubiosa.

³ Pro hac specie a WIEDEMAN gen. *Macrostomus* conditum fuit, melius inter synonyma *Rhamphomyia* pro tempore locandus.

71. *pachymerina* SCHIN. 1868. — Amer. merid.
 72. *pachystoma* PHIL. 1865. — Chile.
 73. *pœcila* PHIL. 1865. — Chile.
 74. *polita* MACQ. 1839. — Chile.
 75. *quadrivittata* F. LYNCH 1878. — Argentina.
 76. *thermophila* WIED. 1830. — Montevideo.
 77. *uruguayensis* F. LYNCH. 1878. — Argentina.
 78. *valdiviana* PHIL. 1865. — Chile.
 79. *variabilis* BIGOT 1857. — Chile.
 80. *varians* BIGOT 1889. — Chile.
 81. *vicina* F. LYNCH 1878. — Chile.
 82. *villosula* BIGOT 1889. — Chile.

Iteaphila ZETT.

83. *coriacea* BIGOT 1889. — Chile.

Spicosa PHIL.¹

84. *bicolor* BIGOT 1888.² — Cap Horn.
 85. *nigra* PHIL. 1865. — Chile.

Hilarempis n. sp.

86. *argyrozona* PHIL. 1865. — Chile.
 87. *brachyrrhyncha* THOMS. 1858. — Patagonia.
 88. *dumicola* PHIL. 1865. — Chile.
 89. *fulva* PHIL. 1865 nec MACQ. 1823 nec WALK. 1837. — Chile.
 90. *griseiventris* PHIL. 1865. — Chile.
 91. *holosericea* THOMS. 1858. — Patagonia.
 92. *laticornis* BIGOT 1888. — Cap Horn.
 93. *macrocera* BIGOT 1889. — Chile.
 94. *magellanica* BIGOT 1888. — Cap Horn.
 95. *nudifacies* n. sp. — Peruvia.
 96. *ochracea* BIGOT 1888. — Cap Horn.
 97. *pallida* PHIL. 1865. — Chile.
 98. *polychæta* n. sp. — Peruvia.

99. *spinulosa* PHIL. 1865. — Chile.
 100. *tephrodes* PHIL. 1865. — Chile.
 101. *vanellus* SCHIN. 1868. — Columbia.
 102. *xanthocera* n. sp. — Peruvia.

Haplomera MACQ.

103. *argentata* PHIL. 1865. — Chile.
 104. *brachygastra* PHIL. 1865. — Chilé.
 105. *brachystoma* PHIL. 1865. — Chile.
 106. *fulvipes* PHIL. 1865. — Chile.
 107. *Gayi* MACQ. 1839. — Chile.
 108. *gymnopoda* n. sp. — Peruvia.
 109. *modesta* PHIL. 1865 nec MEIG. 1838. — Cile.
 110. *notogramma* n. sp. — Bolivia.
 111. *obscurata* PHIL. 1865. — Chile.
 112. *obscuripennis* PHIL. 1865. — Chile.
 113. *rubripes* PHIL. 1865. — Chile.

Apalocnemis PHIL.

114. *breviventris* PHIL. 1865. — Chile.
 115. *obscura* PHIL. 1865. — Chile.
 116. *variegata* n. sp. — Peruvia.

Microphorus MACQ.

117. *scapuliferus* BIGOT 1889. — Chile.
 118. *semifulvus* BIGOT 1889. — Chile.

Scelolabes PHIL.³

119. *bivittatus* PHIL. 1865. — Chile.

Ocydromia MEIG.

120. *elegans* BIGOT 1888.⁴ — Cap Horn.
 121. *Philippi* BIGOT 1889. — Chile.

Leptopeza MACQ.

122. *rivosa* BIGOT 1888. — Cap Horn.

Ceratomerus PHIL.⁵

123. *paradoxus* PHIL. 1865. — Chile.

¹ Genus hoc ab *Iteaphila* non distinctum videtur.

² Generi huic prorsus extranea, fortasse *Syneches* quidam.

³ Genus *Oedaleae* affine, a prof. REED in Anales Univ. de Chile LXXVIII 27 (1888) *Scelobates* nuncupatum.

⁴ In genere *Euthyneura* forsán melius locanda.

⁵ Genus quoad positionem valde dubiosum, forsán prope *Brachystoma* locandum.

Hemerodromia MEIG.

A) *Microdromia* BIGOT.

124. bivittata PHIL. 1865. — Chile.

B) *Hemerodromia* s. str.

125. pallida PHIL. 1865. — Chile.

C) *Cladodromia* nov. subg.

126. analis THOMS 1858. — Patagonia.

127. bicolor PHIL. 1865. — Chile.

128. cana n. sp. — Peruvia.

129. flavipes PHIL. 1865. — Chile.

130. inca n. sp. — Peruvia.

131. nigrimana PHIL. 1865. — Chile.

132. pratincola PHIL. 1865. — Chile.

133. semilugens PHIL. 1865. — Chile.

Chelipoda MACQ.

A) *Phyllodromia* ZETT.

134. vittata F. LYNCH 1878. — Argentina.

Drapetis MEIG.

135. obscuripennis PHIL. 1865. — Chile.

136. valdiviana PHIL. 1865. — Chile.

Tachydromia MEIG.

137. chilensis PHIL. 1865. — Chile.

138. Paulseni PHIL. 1865. — Chile.

139. Pluto MEL. 1902. — Bolivia.

140. sanguinea F. LYNCH. 1878. — Argentina.

141. testacea PHIL. 1865. — Chile.*

Nota 2. Species quoque e Mexico et America centrali enumerandas puto, quia ad faunam neotropicam pertinentes.

Hybos MEIG.

142. electus MEL. 1902. — Antillæ.

= dimidiatus Lw. nec WALK.

143. mellipes WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.

144. sequens MEL. 1902. — Mexico.

= dimidiatus BELL. nec WALK.

145. spinicosta WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.

146. triplex WALK. 1849. — Mexico.

147. typicus WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.

Syneches WALK.

148. quadrangularis WHEEL et MEL. 1901. Mexico.

Ramphomyia MEIG.

149. cyanogaster WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.

150. furcifer WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.

151. tolteca WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.

152. umbilicata Lw. 1861. — Mexico.
= ungulata Lw.

Lampremis MEL.

153. benigna O. S. 1887. — Mexico.

154. chichimeca WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.

155. cyanea BELL. 1862. — Mexico.

156. diaphorina O. S. 1887. — Mexico.

157. setigera COQUILL. 1903. — Cuba.

158. suavis Lw. 1869. — Mexico.

159. superba Lw. 1861. — Cuba.

160. violacea Lw. 1869. — Mexico.

161. viridis COQUILL. 1895. — Jamaica.

Empis L.

162. annulipes WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.

163. atrifemur WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.

164. azteca WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.

165. bicolor BELL. 1862. — Mexico.

* Genus *Deuteronista* PHILIPPI 1865, e Chile, ab auctore in *Therevidis* positum, a cl. BIGOT et REED non sine ratione in *Empididis* translatum, hic neglectum, quia incertum.

166. *dolorosa* WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.
Drapetis MEIG.
167. *Montezumæ* WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.
 177. *apicis* WILL. 1896. — Antillæ.
168. *Pegasus* O. S. 1887. — Amer. centr.
 178. *divergens* LW. 1872. — Mexico.
 = *minuta* WILL. 1896.
169. *rubida* WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.
 179. *femoralis* WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.
170. *spiloptera* WIED. 1830. — Mexico.
 180. *gilvipes* LW. 1872. — Antillæ.
 = *xanthopoda* WILL.
171. *totipennis* BELL. 1862. — Mexico.
Phoneutisca LW.
172. *xochitl* WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.
 181. *simplicior* WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.
- Microphorus* MACQ.
173. *palliatu*s COQUILL. 1902. — Mexico.
Tachypeza MEIG.
- Hemerodromia* MEIG.
- A) *Microdromia* BIGOT.
174. *defessa* WILL. 1896. — Antillæ.
 182. *bacis* WALK. 1849. — Jamaica.
- D) *Neoplasta* COQUILL.
175. *mexicana* MEL. 1902. — Mexico.
 183. *Schwarzi* COQUILL. 1896. — Mexico.
- Chelipoda* MACQ.
- A) *Phyllodromia* ZETT.
176. *mexicana* WHEEL. et MEL. 1901. — Mexico.
 184. *flavida* (WILL. 1896.) COQUILL. 1900. Antillæ.*
Tachydromia MEIG.
185. *caligata* MEL. 1902. — Mexico.
 = *trivialis* WHEEL. et MEL. 1901. nec LOEW.

* Species dubia, forsan nil aliud quin *Drapetis* quædam.